EXPLICATIO

DOMINICAE

PASSIONIS, A QVATVOR EVANGELISTIS DESCRIPTAE.

Authore D. Ioanne Heſſelio Louanienſi, Sacræ Theologiæ, dum viueret, Regio Louanij Profeſſore.

Eodem item Authore Explicatio Reſurrectionis Dominicæ.



LOVANII,

Apud Ioannem Bogardum, Sub Biblijs Aureis. Anno 1568.

PRIVILEGIVM.

REgiæ Maieſtatis Priuilegio conceſſum eſt Ioanni Bogardo, Bibliopolæ iurato, vt intra octo proximos hoſce ſequentes annos imprimat quoſuis Ioannis Heſſels à Louanio Sacræ Theologiæ (dum viueret) in Academia Louanienſi Profeſſoris libros; tam eos, qui typis excuſi ſunt, quam qui poſtmodum excudentur. (è quorum numero eſt & hæc Explicatio Dominicæ Paſsionis.) Et ſimul quoque interdictum eſt alijs omnibus, quicunque demum illic ſint, ne eos imprimant, aut alibi impreſſos in ditiones Regiæ Maieſt. diſtrahendos importare tentent, ſub grauibus pœnis, quas literæ exprimunt.

Datæ Bruxellis, die 12. Decembr.

Subſig. de Witte.

Anno 1567.

PASSIONIS DOMINICÆ ENARRATIO, AVTHORE IOANNE HESSELIO, Sacræ Theologiæ Profeſſore.

PRÆFATIO.

AVditurus hiſtoriam Dominicæ paſſionis, & afflictionem maximam, non tantum debet ita agi pietate, quaſi audiret Martyria Prophetarum, aut Apoſtolorum,aut aliorum iuſtorum: ſed longè aliter debet expendere dignitatem patientis,reuera credendo, expendendóq; eum ipſum qui hæc indigna patitur, eſſe naturalem Dei filium,verum Deum,immenſum,& incomprehenſibilem, omnium creatorem. Quo expenſo,omnia quæ in Paſſione audiuntur maxima ſunt. Deinde expendere debet, eum ipſum eſſe etiam hominem non tantum innocētem,& iuſtum more aliorum,ſed ſine vlla libidine de Spiritu ſancto conceptum, qui nec poſteà in minimo à perfectiſſima iuſtitia diſceſſit,ſed ſemper toto corde in omnibus Deo ſeruiuit,ita vt mirabili ſupra modum coniunctione,in eo ſit perfecta iuſtitia,

ſine comite tamen ſua, perfecta totius animæ & corporis felicitate; & ſit miſeria, atq; afflictio corporis & animæ, ſiue cauſa ſua, ſcilicet peccato.

Secundò cogitare debet homo cauſam paſſionis Domini: cum ſcilicet hæc tanta perſona talia ſuſtinuit, nempe vt hominem impium, & cōdemnatum ad æternam mortem, faceret perfectè iuſtum, & in æternum viuentem. Et vt hæc cauſa melius expendatur,
Roma. 5. *cogitare oportet, omnes omninò homines naſci peccatores, & reos æternæ mortis: & adultos, fieri prauiores, & magis reos, niſi hæc medicina ſuccurrat: & eis quibus ſuccurrit, ita ſuccurrere, vt tamen adhuc in multis peccent, & medicinæ huius indigi ſint. Cogitandum eſt ipſos eſſe tam infirmos, vt in maximam prauitatem abeant, niſi hæc medicina aſſiduè ſuccurrat. Tam potens eſt autem hæc medicina vt maxima peccata, etiamſi vnus omnia habeat, deleat: tam neceſſaria, vt ſine hac nec minimum peccatum ignoſci, nec minimum vitium curari poſſit. Medetur autem hominibus, & præterita peccata ignoſcendo, & à futuris cuſtodiendo, & obedientiam erga Deum præſtando, & tandem ad impeccabilitatem & vitam felicem,*

licem,& æternã corporis & animæ ducendo.

Non oportet autem ſic cogitare: Hæc eſt medicina generis humani, ſed fortè nõ mea: Imò quia iam ad Chriſtum vocaris, ſit & tua, nec minoris eam facere debes, quàm ſi tibi ſoli impenſa eſſet, ſicut non minus commodi habes ex ſole oriente, quàm ſi tu ſolus eo fruereris. Quid enim minus tu habes, quã ſi nullus alius à ſole videret? Ne igitur inueniaris ingratus, imitare Paulum dicentem: Chriſtus dilexit me, & tradidit ſemetipſum pro me. & Aug. O tu bone omnipotens, qui ſic curas vnumquenque noſtrum, velut ſolum cures, & ſic omnes, tanquam ſingulos. Hic eſt (inquit Chryſoſt.) affectus ſerui fidelis, vt beneficia Domini ſui, quæ communiter data ſunt omnibus, quaſi ſibi ſoli præſtita reputet, & quaſi ipſe ſit omnium debitor, & pro omnibus ipſe ſolus habeatur obnoxius. Hoc fecit & Paulus, qui mortem domini, & Saluatoris noſtri, quæ pro vniuerſo expenſa eſt mundo, ſibi ſoli præſtitam dicit: Quaſi enim de ſe ſolo loquẽs, ita ſcribit: Quod enim nunc viuo in carne, in fide viuo filij Dei, qui tradidit ſemetipſum pro me. Hæc autem dicebat, non coanguſtare volens ampliſſima, & per omnem orbem diffuſa Chriſti munera,

Galath. 2.

Lib. 3. Cõfeſ. cap. 11.

Lib. 2. de cõpunct. cordis.

Galat. 2.

ſed quaſi qui(vt diximus)pro omnibus ſe ſolum iudicaret obnoxium. Et reuera, quid intereſt ſi & alijs præſtitit, cum quæ tibi præſtita ſunt,ita integra ſint,et ita perfecta, quaſi nulli alij ex his aliquid fuerit præſtitum?Ideò denique & in illa boni Paſtoris parabola, non dicitur quia venit oues multas quærere,ſed vnam.Vna namque eſt, quia ſic omnibus,quaſi vni, diuina beneficia conferuntur.

Luc.15.

Magnitudo dominicæ paſſionis penſatur ex quatuor.

Magnitudo Dominicæ paſſionis penſatur,primò ex vniuerſalitate paſſionis.Paſſus eſt enim ab omni genere hominum. Item in omnibus rebus,in amicis,deſerentibus:in fama,per detractiones,& blaſphemias, in honore & gloria,per irriſiones,& cõtumelias: In rebus,per ablationem veſtium; in anima per triſtitiam, tædium & pauorem: In corpore,quoad omnia mẽbra: In capite coronam ſpineam:In pedibus & manibus vulnera clauorum:in facie alapas:in toto corpore flagella:In lingua fel,in humeris crucem,in barba vulſionem perferendo. Sic & in omni alio ſenſu:(de guſtu enim & tactu dictum eſt)in olfactu,per fœtorem in monte Caluariæ, in auditu per blaſphemias, in viſu,quod matrẽ & diſcipulum flentes,et inimicos laborantes

ad ſui

ad ſui necem vidit. Secundò magna fuit paſsio exterior & interior ex ipſa magnitudine cauſæ. Nam læſio corporalis crucifixorum, eſt maxima doloris cauſa, maximumq́; dolorem infert. Et ea de quibus Chriſtus triſtabatur, erant maxima cauſa triſtitiæ, vt ſuprà patuit. Tertiò, ex nobilitate complexionis Chriſti, qui, tanquam conceptus de Spiritu ſancto, nec vllo peccato corruptus optimè appræhendit cauſas triſtitiæ & optimè percipiebat corporalem læſionem, nuſquam ſtupens aut ſine ſenſu. Vnde maior dolor non ſtupefaciebat eum, quo minus perciperet minorem. Sicut homo qui comburitur, non percipit dolorem digiti: ſed Chriſtus etiam pendens, optimè & ſummo cum dolore percepit ſitim, veſtium ablationem, & contumelias; non ſtupefactus ad hoc perſentiendum maiori tormento. Quartò, maior fuit eius dolor ex ipſa doloris puritate, quia nimirum mitigatus non fuit: nec per diuinitatis operationem, (vnde ſe derelictum dicit à Deo ſuo:) Nec per conſiderationem rationis, ſicut fit in nobis, dum conſideramus bonum propter quod patimur, & auertimus oculos mentis à malo ipſo. Quinimò ipſe ex iudicio rationis aſſumpſit conſiderationem malorum Pſalm. 21.

ſuorum atque triſtitiam in naturali voluntate, ſinens omnes partes ſibi, ſine conſolatione. Quæ triſtitia durauit vſque ad mortem. Vnde tunc dicit ſe derelictum. Mitigatio doloris per conſiderationem rationis non habet locum in interiori triſtitia Chriſti, quia quod quis voluntariè aſſumit, non mitigat; eo quòd mitigatio eſt eius quod irruit in inuitum. Dolorem corporis non mitigauit per rationem, quia & cum voluntariè aſſumpſit, & permit-
Eſaiæ 53. *tebat carnem ſibi, vt iuxta Eſaiam eſſet vir dolorum & ſciens infirmitatem. alioqui ſi ſeipſum conſolatus eſſet per rationem, perfectum exemplum miſeris peccatoribus non præſtitiſſet. Nec differentia eſſet inter Martyres & ipſum, quam tamen videtur ponere Pſalm. 21. & Damaſcenus dicit diuinæ voluntatis beneplacito, & volente verbo permiſſum fuiſſe carni, pati, & ea agere, quæ ipſi erant propria, vt per opera naturæ crederetur veritas.*

Li. 3. de fide orthodoxa cap. 15. & 19.

Vide Thomam in 3. par. quęſt. 46. art. 6. in corpore & ad 6.

Prædicaturus autem Paſſionem Dominicam pro exordio ac themate aſſumere poteſt verba Pauli ad Romanos 8. Deus etiam proprio filio non pepercit, ſed pro omnibus tradi-

tradidit illum. Aut illa ex ſecundæ ad Corinthios capite quinto: Eum qui non nouerat peccatum, pro nobis fecit peccatum, hoc eſt, ſacrificium pro peccato: ſiue ſic tractauit, tanquam ipſe fuiſſet peccatum: vt nos efficeremur iuſtitia Dei in ipſo, hoc eſt, perfectè efficeremur iuſti à Deo per ipſum, qui eramus ipſa ſcelera. Hæc, inquam, verba pro themate paſsionis aſſumi poſſunt, & in eis conſiderari poteſt dignitas patientis, magnitudo paſsionis, & quem ob finem patiatur. Item & iſtud poteſt eſſe thema: Ego enim accepi à Domino quod & tradidi vobis, quia Chriſtus mortuus eſt pro 1.Cor.15. *peccatis noſtris ſecundum ſcripturas. Item: Chriſtus dedit ſemetipſum pro nobis, vt nos redimeret ab omni iniquitate, & mundaret* Titum 2. *ſibi populum acceptabilem: ſectatorem bonorum operum.*

Paſsio Domini omni die memoranda eſt, et præcipuè in Miſſa: Peculiariter tamẽ proponitur tota Paraſceue, vt nunquam ſubrêpat ingrata obliuio; ſed ſemper gratiæ agãtur Deo de tãto beneficio. Diſcat peccator quàm ſit abominabile peccatum, pro quo debuit pati filius Dei tam indigna, & credat veriſsimum eſſe quod de æterno igne impœnitenti- Matth.25 *bus præ-*

bus præparato dixit filius Dei. Diſcat peccator & redamare eum à quo ſic eſt amatus, vt pro ſalute eius hæc pateretur filius Dei. Diſcat in eo ſperare, & præbeat ſe ei ſanandum, qui vſque ad peccatorum ſupplicium ſe dimiſit. Diſcat peccator obedire & humiliari, cum videt filium Dei humiliatum & obedientem vſque ad crucis mortem. Diſcat hæc omnia ex paſſione & cruce haberi, quia ideo filius Dei mortuus eſt vt nos ſaluaret. Hoc autem obſeruandum eſt non eſſe certum ordinem, quem quis concipit inter diuerſas ex diuerſis Euangeliſtis collectas hiſtorias. Etſi enim vnus altero probabilius ſibi mutuo concordat Euangeliſtas, nullius tamen cōcordia tanquam euangelicum dictum prædicanda eſt. Exempli gratia: Auguſtinus oſculum Iudæ præponit proſtrationi turbæ, & putat non improbabiliter noctu non eſſe adiuratum Dominum à Caipha, & Dominum ſemel tantum, mane ſcilicet dixiſſe de ſeſsione filij ad dexteram Patris. Sic non ſumus certi qnod interrogatio pontificis de doctrina Chriſti & diſcipulis eius non ſit mane facta, & poſt auditos falſos teſtes. Sic Auguſtinus intelligit Lucam dicentem: Hunc inuenimus ſubuertentē gentem no-

tem noſtram, explicare illam accuſationem, quæ eſt apud Ioannem, Quod filium Dei ſe fecit, & intelligit Lucã explicaſſe illa multa in quibus dicunt Matthæus & Marcus eum accuſatum eſſe. Similiter certum non eſt, quo ordine verba Chriſti ſint in cruce prolata. Nec hoc, quota oratione apparuerit angelus confortans Chriſtum. Epiphanius dicit angelum apparuiſſe videntibus Apoſtolis. ex quo videtur probabilius quòd apparuerit in prima oratione, antequam obdormirẽt Apoſtoli, & antequã prolixitate orationis Chriſti ad ſomnum impellerentur. Verum certius prædicatur ſic: In vna aliqua trium orationum Chriſti, apparuit angelus. Si quis certa tantum tractare vellet, deberet quemlibet Euangeliſtam ſeorſim tractare. Certúmque eſt Euangeliſtas non contrariari, etſi incertum ſit quomodo ſint concordandi. Vnde melius Auguſt. librum ſuum inſcripſit de Conſenſu Euangeliſtarum: (ſolum nimirum cupiens monſtrare & tradere eos non diſſentire) quam ij qui faciunt vnum Euangelium ex quatuor, in quo neceſſe eſt poni humanas opiniones, & proinde non eſt Euangelium. In concordandis autem Euangeliſtis vſu venit quod ait Auguſt: In diuinorum eloquiorum au-

rum authoritatibus, quibus noſtras intelligentias Deo placuit exercere, non ſolum alius alio mouetur acutius, eorũ qui ſcripturas ſanctas non improbabiliter tractant, ſed etiam quilibet vnus eorum aliquando minus, aliquando melius intelligit.

DOMI-

DOMINICÆ PASSIONIS EXPOSITIO.

DIXIT eis Ieſus, Quã- do miſi vos ſine ſacculo & pera & calceamentis, nunquid aliquid defuit vobis? At illi dixerunt, Nihil. Sẽſus eſt: Cum me prædicabatis, & mihi adhærentes in me ſperabatis, tunc ego contra aduerſarios defendi vos, & vobis curaui omnia neceſſaria, & ſine cura egiſtis. *Sed nunc*, hoc eſt, ſtatim, *qui habèt ſacculum, tollat: ſimiliter & peram:* Tollat, id eſt, tollet. Senſus enim eſt: quiſque veſtrum relinquet fidem & fiduciam in me, & pro ſe erit ſolicitus, ita vt ſacculum, et peram, et ſimilia vitæ ſubſidia quærat, et ſaccum portet, vtpote in me non confidens amplius: *Et qui non habet gladium,* quo ſe defendat, *vendat tunicam ſuam, & emat:* de- Luc.22.

Baſil. in regulis breuio reſpõſione 251. relinquet potius tunicam, quam gladio careat: *Quoniã oportet impleri in me, Et cum iniquis deputatus eſt:* Quaſi dicat, Et hoc propterea, quia ego veniam in manus Iudæorum, qui me tanquam latronem tractabunt, & cum ſceleratis deputabunt, ſicut

Eſaiæ 53. Eſaias prædixit, *Etenim ea quæ de me ſunt*, prædicta, *finem habent*, hoc eſt, iam complebuntur.

Et hymno dicto, exierunt in montem Oliueti, &c. Dixi vobis in cœna quod vnus (neminem nominãdo) me traditurus eſſet, nec explicui tẽpus. Nunc dico vobis, quod, *Omnes vos ſcandalũ patiemini in me*, Omnes vos ex me cadetis, & ſcandalum infidelitatis patiemini, *in iſtà nocte*, præſenti:

Zacha. 13. *Scriptum eſt enim*, apud Zachariam: Ego, Deus pater: *Percutiam paſtorem, & diſpergentur* corporaliter, & per errores ſpiritualiter, *oues gregis*, Chriſti, ipſi diſcipuli. ſed, *poſtquam reſurrexero à mortuis, præcedam vos in Galilæam*, ibi videndus à vobis, & facturus vos iterum fideles & congregatos.
Et ait Dominus Simoni: Simon, ecce Sathanas expetiuit vos, vt cribraret ſicut triticum: Impetrata à Deo permiſsione veſtri ſcandali, expetiuit vos omninò in nihilum redige-

redigere, & perpetuò agitare, vt triticum agitatur in cribro, ne vlla eſſet inter vos religio firma: aut ne ea fides quam vos docui, ſtabilis permaneret: ſed mutua diſcordia paulatim religio à vobis periret, ſicut agitatione, pollis tota excernitur ex cribro, remanentibus tantum furfuribus. *Ego autem*, contrà, *rogaui pro te, vt non deficiat fides tua, & tu aliquando conuerſus*, à tua inſtabilitate, *confirma fratres tuos:* Quod non præcipiens, ſed magis ordinās dicebat, ſicut dixit: Fiat lux, & facta eſt. Vnum ordinauit Chriſtus à quo omnis confirmatio fidei expectanda eſſet, quem ob indefectibili fide donari impetrauit, per vnitatem tollens diſcordiam, per indefectibilem fidem ipſam Eccleſiam, in qua poſuit vnitatem, perpetuam faciens. *Reſpondens autem Petrus*, per hoc perturbatus, quod & ſe ſentiebat tangi, ita vt non cogitaret iam propriam fragilitatem, ſicut in cœna cogitauerat, dicens: Nunquid ego ſum te traditurus? eo quòd tunc non fuerat dicto Chriſti tactus, qui dixerat tantum in genere: Vnus veſtrum. Nunc ergo non mentiendo, ſed putando ſe poſſe quod ſe velle ſentiebat, præſuménſq; nimium de viribus ſuis, ſe ſuperbè omnibus Geneſ.1.

præturu-

prætulit. Et *ait illi: Etſi omnes ſcandalizati fuerint in te, ego nunquam ſcandalizabor; Animam meam pro te ponam: Domine paratus ſum tecum & in carcerem, & in mor-*
Matth. 14. *tem ire.* Cùm debuiſſet dicere: Domine ſal-
Marci 9. uos nos fac ab hoc ſcandalo, aut adiuua incredulitatem & infirmitatem noſtram. Tunc *ait illi Ieſus: Amen dico tibi Petre:* Quia tam arroganter loqueris, etiam alijs te præponēs, *Tu hodie*, hoc die naturali, imò *in hac nocte ter es me negaturus.* in quo fœdius cæteris peccabis, nec diu differetur hæc trina negatio. Negabis enim me ter, *antequam gallus cantet:* hoc eſt, antequam adueniat tēpus galli cantus, Imò *priuſquam gallus bis vocem dederit. At ille* Petrus *amplius*, vehementius, & aſſeuerantius *loquebatur. Etiam ſi oportuerit me mori tecū non te negabo. Similiter & omnes diſcipuli* reliqui *dixerunt*, ſe nō eſſe ſcandalizandos. addentes: *Domine ecce hîc* ſunt *duo gladij.* quibus ſcilicet defendemus nos, & te tuebimur, & nunquam in te ſcandalizabimur. Non enim reputabant Apoſtoli, tātam turbam venturā ad eum capiendum. Nondum enim forte putabant Iudam eum traditurum, aut ſaltem nō tantum fore periculum,

quin

quin duobus gladijs poſſent reſiſtere. *At Ieſus dixit: ſatis eſt.* ſcilicet ſuperbè locutũ, ſatis eſt dictum, Non præſumatis amplius, Nolo amplius audire; Non ſcandalizabimur in te.

Tunc venit Ieſus cum illis trans torrentem Cedron, tanquam Dauid fugiens Abſalon, *In villam quæ dicitur Gethſemani vbi erat hortus, in quem introiuit ipſe & diſcipuli eius*. Vt ſicut homo primus in horto primùm peccauit, & mortem adduxit, ita homo ſecundus in horto iuſtitiam & vitam inchoaret. Erat autem Chriſti cõſuetudo, in hoc loco montis Oliueti, orare cum diſcipulis ſuis. *Tunc dixit Ieſus diſcipulis ſuis: Sedete hìc*, ſiue manete hìc (non enim ſeſſionem propriè dictam præcepit) *donec vadam illuc* (demonſtrando locum) *& orem:* atque abſoluam orationem meam, Et *orate ne intretis in tentationem*. *Et aſſumpto Petro, & Iacobo, & Ioanne filijs Zebedæi:* qui erant præcipui Apoſtolorum, & teſtes fuerant glorioſæ transfigurationis eius, *Cœpit contriſtari & mœſtus eſſe, tædere & pauere*, hoc eſt, oſtendere foris magnam triſtitiam, magnum horrorem & pauorem.

Et ait illis: Triſtis eſt anima mea vſq; ad

B *mortem,*

mortem,id eſt,triſtis eſt anima mea triſtitia duratura vſq; ad morté, ſiue tanta triſtitia, vt ſi maior eſſet,me enecaret. Leo ſerm.7. de paſsione domini,dicit quod poſt orationem depulit trepidationem infirmitatis, & confirmauit magnanimitaté virtutis. Quomodo igitur vſque ad mortem durauit triſtitia? an ſentit Leo quod ex infirmitate nõ fugerit ne comprehenderetur? *Suſtinete*, atq; manete *hîc*, *Et vigilate* ómnes *mecum*, In eo loco vbi ſunt reliqui octo diſcipuli. Hoc enim mihi erit ſolatiũ; ſi vos mecum vigilare & laborare ſentiam,& onus meum ſimul portare. Pauebat enim,& triſtabatur Chriſtus,de morte, & omni afflictione ſibi imminente,qua pretioſiſsima eius vita erat tollenda,quæ omnia tanquam præſentia efficaciſsimo ingenio, ſine omni ſtupore apprehendebat. Triſtabatur de caſu Iudæ, & diſcipulorum reliquorum, de electi populi Iudaici excæcatione, de omnibus mundi peccatis,quæ videbat ſibi impoſita, vt pro eis ſatisfaceret, tanquam ipſe ea perpetraſ-
Pſal.68. ſet,ſicut ait in Pſalmo: Quæ non rapui,tũc
Pſal.40. exoluebam. Et: Ego dixi Domine miſerere mei,ſana animam meam, quia peccaui tibi. Denique triſtabatur, quia videbat tot

Chri-

Chriſtianos, qui hoc ſanguine abluti, nihilominus poſteà eum pollutum ducerent, atque contemnerent. Alio autem modo triſtabatur, quàm nos, quos triſtitia præuenit, & efficit vt minus rectè agamus quæ ſunt agenda, & bonum diuinæ legis nō perficiamus. Chriſtus verò ſponte & voluntariè triſtitiam aſſumpſit. Vnde in Ioanne dicitur: ſeipſum turbaſſe, & in nullo per eam turbabatur pia eius voluntas, quo minùs promptiſsimè obediret Deo. Ideò autem triſtitiam aſſumpſit, vt ſe verum hominem habentem animam infirmam, ſicut & infirmum corpus oſtenderet, vt à nobis noxiam triſtitiam huius ſeculi, & tædium in bono opere, & triſtitiam deſperationis auferret, & ignoſceret: Vt verā triſtitiam ſecundum Deum, ad pœnitentiam nobis largiretur, vt ignoſceret nobis ineptiſsimas lætitias vanitatis, & largiretur lætitiam in prompta obedientia, & gaudium perpetuum in domino. Cœpit verò paſsionem ſuam ab animæ afflictione, ac deinde ad corporis paſsiones progreſſus eſt. Quia & anima primùm per vanam lætitiam atque ſuperbiam, in Paradiſo vitiata eſt, quæ corruptio deinde manauit ad corpus. Et ne quis putet hanc animæ Chri-

Hebr. 10.

Ioan. 11.

2. Cor. 7.

mæ Chriſti triſtitiam paruam eſſe, Notandum eſt eam à Prophetis admodum peculiariter eſſe prædictam: Cor meum conturbatum eſt in me, & formido mortis cecidit ſuper me. Timor & tremor venerunt ſuper me & cõtexerunt me tenebræ; & dixi, quis dabit mihi pennas ſicut columbæ, & volabo & requieſcam. Expectabã eum qui ſaluum me fecit à puſillanimitate ſpiritus, & tempeſtate. Et iterũ: Saluum me fac Deus, quoniam intrauerunt aquæ, ſcilicet tribulationis, vſque ad animam meam. Et iterum: Repleta eſt malis anima mea, & vita mea inferno appropinquauit. In me tranſierunt iræ tuæ, & terrores tui, cõturbauerunt me, Circundederunt me, ſicut aqua, tota die circundederunt me ſimul. Et bene addidit, tota die. Nam triſtitia hæc, vſque ad mortem durauit. *Et progreſſus puſillum*, vt ſcilicet in oratione ſolus eſſet, *Procidit in terrã*, humiliãs ſe Deo *poſitis genibus*, ſimul: vel, nũc ponebat genua tantũ, nũc etiã in faciẽ procidebat, *& orabat vt ſi fieri poſſet, tranſiret ab eo hora*, ſiue paſsio, illo tempore inſtans. *Et dixit: Abba*, pater, mi naturalis *pater, Omnia tibi poſsibilia ſunt, Transfer à me calicem hunc:* hoc amarum poculum paſsio-

Pſal. 54.
Pſal 68.
Pſal. 87.

paſsionis imminentis, *ſi vis*, ſiue *ſi poſsibile eſt*, peto non pati, *Attamen non mea voluntas, ſed tua fiat*. Explicat hac oratione in prima eius parte, quid naturale deſideriũ habeat, quod fugit naturaliter mortem ſecundum ſe conſideratam. Et cum videt homo ſeſe non eſſe potentem ad ſe liberandum, naturaliter confugit ad potentiorem. Explicat etiam quid deliberata voluntate, quæ ex conſideratione rei ſecũdum omnes circunſtantias expenſæ oritur, voluerit; Nempe, id quod mandauerat ei pater, docens nos in his quæ deſideramus & ad Deũ confugere, & voluntati eius nos etiam in multum deſideratis, temporalibus rebus ſubijcere & petere abſolutè, vt ea compleatur. Ideò autem obtulit ex naturali deſiderio hanc orationem, ſiue huius orationis priorem partem, quam ſciebat non exaudiẽdam, ſicut nec volebat ex iudicio rationis deliberatæ, eam exaudiri, ipſe qui ſemper exauditur à patre pro ſua reuerentia, in his quæ deliberatè, expenſis omnibus concurrentibus petit, vt nos indigni exaudiri, per eum qui pro nobis exauditus non eſt, à Deo exaudiamur: ſicut ait in Pſalm. Deus Pſal. 21. meus clamabo per diem, et non exaudies,

 et nocte,

et nocte, et non ad inſipientiam mihi, ſcilicet cedet hoc, ſed ad magnam ſapientiam, quam fideles expendent, dum ſe exaudiri ſcient, quia ego non ſum exauditus.

Et venit ad diſcipulos ſuos, tanquam pius paſtor ad oues, tanquam etiam ab eis aliquantulum conſolãdus. *Et inuenit eos* omnes vndecim *dormientes præ triſtitia*. Non ſe ſtudio poſuerunt ad dormiendum, contra Chriſti mandatum, ſed vitantes fabulas, vt intenderent orationibus, ex fatigatione præcedenti & fragilitate obdormierunt.
Pſal. 8. Tunc impletum eſt quod ait Pſalmus: Improperium expectauit cor meum, & miſeriam: & ſuſtinui, qui ſimul contriſtaretur, ſcilicet ſpiritualiter, & ad conſolationem meam, & non fuit: qui conſolaretur, & non inueni, *Et dicit Petro*, arrogantiori cæteris: *Simon dormis? Sic?* ſcilicet præſtas promiſſa? Deinde ad omnes: *Non potuiſtis vna hora*, breuiſsimo tẽpore, *vigilare mecum?* Si mea miſeria vos non moueat, moueat veſtrum periculum, *Vigilate & orate vt nõ intretis in tentationem*: ne ab imminente tentatione ſuperemini. Etſi voluntas veſtra ſiue mens, quatenus Dei ſpiritu renouata eſt prompta ſit, & parata ad reſiſtendum tentationi-

tationibus, vos tamen ipſi quatenus corrupti & carnales adhuc eſtis, admodũ eſtis infirmi ad reſiſtẽdum. Heu ſi hoc Apoſtolis dicitur, qui omnia reliquerant, & iã corpore, & ſanguine Chriſti muniti erãt, quãto magis nos etiã poſt omnia pietatis munimenta, conuenit intentos eſſe ieiunijs, & orationibus omni tempore; ne à tot tentationibus ſuperemur. Væ impijs, quorũ ſpiritus non eſt ad reſiſtendum promptus, ſed toti ſunt caro. *Iterum ſecundò abijt & orauit eundem ſermonem, dicens: Pater mi, ſi non poteſt hic calix tranſire, niſi bibam illum, fiat voluntas tua.* Hîc Chriſtus euidentius explicat, quod orauerit propriè, vt voluntas Dei de ſe paſſuro, impleretur. Non enim ſolum permittens, ſed et orans dicit: Fiat voluntas tua. *Et venit, & inuenit eos dormiẽtes, Erant enim oculi eorum grauati.* ſomnolentia, triſtitia, fatigatione laboris diurni, et quia longum Chriſti ſermonem audierant. *Et ignorabant quid reſponderent ei.* Parcens ergo et compatiens eis, *Abijt tertio, & orauit eundem ſermonem,* nos docens eadem frequenter petere. *Apparuit autem ei angelus,* in vna iſtarũ orationum, *de cælo confortans eum,* hoc eſt, prædicans

eius fortitudinem.(Sic Epiphanius libro 2. tomo 2. aduerſus hæreſes in hæreſi Arrianorum)dicens ei hæc, vel ſimilia:Domine etſi nunc maximè infirmus appareas in anima,tu tamẽ fortior es principe huius mundi:tu vaſa eius auferes, et ſpolia diſtribues: Tu victor es peccati,mortis,et inferni:à te nos omnes angeli fortitudinem ſumpſimus; per te cõfortabuntur omnes electi tui.Decebat enim tunc vt nobiliſsimus inter creatos ſpiritus prædicaret Chriſti fortitudinẽ, quando ſpiritus eius, anima ſcilicet,maximè infirmabatur, ſicut nobiliſsimũ corpus, ſol ipſe tunc oſtendit eius fortitudinem, quando maxima corporis infirmitas in eo apparebat in cruce. Vel ſecundum Gregorium homil.8. in Ezech. Et Damaſcenum libro 3.capite 2.verè confortauit eius infirmitatem angelus, non quidem verbis conſolatorijs (eo quod ratio ſuperior in Chriſto non conſolabatur inferiorem, ad quod faciendum inducunt verba conſolatoria),
Pſal.68. iuxta illud:Suſtinui,qui cõſolaretur et non inueni. Niſi malis, hæc de homine conſolante intelligere; ſed confortatione corporis efficiendo ipſum fortius ad ferendum, dulci aſpectu,et dulci verborum ſono, aut

tactum immutādo, vel phantaſiam, aut alio modo. Quod ſi placeat dicere Chriſti rationem conſolatam eſſe inferiorem partem ad vocem angeli, adhuc ſtat quod ſe non cōſolabatur. Aliàs vide Proœmium, vbi dicitur quod vires ſuperiores non ſolabantur inferiores. Et videntur manifeſtatione angeli excitati Apoſtoli, licet prolixitate orationis, iterum obdormirent. *Et factus* eſt *Chriſtus in agonia*. Non enim eſt angelus eum conſolatus. Ergo certabat, non caro contra ſpiritum, ſed natura cōtra mortem, cupiens ſe conſeruare ſicut omne brutum agonizat, dum debet mori, certans contra interitum. Factus (inquam) in agone, *prolixius orabat*, docens, quanto magis tribulamur, tantò diutius & amplius ad Deū nos confugere. *Et*, vt nobis innoteſceret, quāta hæc triſtitia & timor fuerit in anima Chriſti, *Factus eſt ſudor eius ſicut guttæ ſanguinis*, guttatim *decurrentis in terram*. Naturaliter homo intus valde afflictus ſudat, At quòd ſanguinem ſudet & per guttas, maximæ violentiæ eſt, & in Chriſto erat miraculum, ſicut quod mortuus emiſit aquā & ſanguinem. Sic neceſſe erat Chriſtum ſudare, vt nos in extremo ſudore, atq; agone

de eo audeamus confidere. Et deſignabatur quod ex paſsione animæ Chriſti, ſacramenta totum Chriſti myſticum corpus ablutura efficaciam haberēt. Et veriſimiliter in iſta agonia completum eſt quod dicit Apoſtolus ad Hebræos 5.capite: Quod in diebus carnis ſuæ preces, ſupplicationéſq; ad eum, qui ſaluũ eum poſſet facere à morte, offerens cum lachrymis, & clamore valido, exauditus eſt pro ſua reuerentia. Et cum ſurrexiſſet ab oratione *venit ad diſcipulos ſuos tertio* & inuenit eos dormientes præ triſtitia, *& ait illis*, ironicè, *Dormite iã & requieſcite*. Quaſi diceret, iam non eſt tēpus dormiendi, *Sufficit* dormiuiſſe hactenus. Quid dormitis, *ſurgite*, Orate ne intretis in tentationem. Ecce adeſt hora qua filius hominis proditoriè tradetur in manus ſceleſtiſsimorum. Surgite, *eamus* obuiam inimicis noſtris, *Ecce appropinquauit qui me tradet.*

Adhuc eo loquente, &c. & diſcipulis euigilantibus, viderunt aduenire Iudam cum magna turba. Iudas cum exijſſet à cœna, ſtatim adijt ſummos Sacerdotes, & Primores populi, & Scribas, & Phariſæos nocte ſcilicet, dicens ſe iam habere oportunitatem

tatem tradendi eum iuxta condictum. Hîc Iudas non dormit vt Petrus, ſicut hodie hæretici non dormiunt, prædicant, edunt libros, Catholicis dormiẽtibus. Etſi autem timore ſeditionis vulgi, ſtatuiſſent tenere eum toto tempore Paſchali, quod hebdomada durabat, tamen nacti nũc per Iudam occaſionem, mutauerunt conſilium, Deo ſic diſponente, qui volebat verum Paſcha tunc ſibi in cruce immolari, cum typicum, à mulieribus torrebatur domi in veru. Dederunt igitur Iudæ turbam magnam armatam gladijs & fuſtibus & armis alijs illius temporis, & propter noctem ſecum habebant laternas & faces. Erant autem in iſta magna turba miniſtri Pontificum & Phariſæorum, item cohors militum Gentilium cum Tribuno ſiue Capitaneo eorum, quæ cohors conducta erat à Iudæis vt ſequeretur Iudam traditorem, & ſemper adeſſe ſolet Pilato ad coërcendas ſeditiones Iudæorum, ideóque magna erat. Hi ergo adducti erant vt nemo de vulgo, aut de diſcipulis Chriſti, auderet Chriſtum eripere, aut tumultum mouere. Aderant & in hac turba quidam de præcipuis Sacerdotibus, Magiſtratibus templi, & Senatoribus, vt eorum

autho-

authoritate & reuerentia plebs cohiberetur. Propter Romanos autem milites, qui templum non frequentabant, & omnia Iudaica deridebant, ideóque Chriſtum non nouerāt, *Qui tradidit eum dedit eis ſignum, dicens: Quemcunque oſculatus fuero, ipſe eſt tenete eum, &* ne effugiat, ſicut ſolet, *ducite caute*. Sciens igitur traditor Iudas locum horti, & quod Ieſus frequenter cum diſcipulis ſuis in eum hortum conuenerat, non dubitauit & nunc eò eum iuiſſe, & ideò audacter totam hanc turbam duxit illuc. Et cum iam appropinquaret Ieſu, dixit Ieſus diſcipulis: *Surgite, eamus, ecce appropinquauit qui me tradet. Sciens enim omnia quæ ventura erant ſuper ſe, proceſſit.* Cum poſſet fugere, proceſsit eis obuiam, vt oſtenderet ſe voluntariè pati; *Et dixit eis, Quem quæritis?* ſic armati, & conglobati? *Reſponderunt ei: Ieſum Nazarenum. Reſpondit Ieſus: Ego ſum. Stabat autem & Iudas qui tradidit eum cū ipſis. Vt ergo dixit eis, ego ſum, abierunt retrorſum, & ceciderūt in terram.* Si hoc fecit dulcis vox capiendi Chriſti, quid faciet vox iudicantis, ad vindictā prolata: Ite maledicti in ignem æternum, qui paratus eſt diabolo & angelis eius. Vbi oſtē-

dit do-

dit dominus manifeſtè,quàm volũtariè pro nobis captus ſit,dum & traditorem,& ſicarios Iudæorũ percuſsit cæcitate, vt videntes alia,eum non poſſent agnoſcere. Quali cæcitate percuſsi fuerunt Sodomitæ in foribus Loth, & exercitus Syriæ ab Heliſæo in Samariam ductus. Et ipſum Iudam cum reliquis proſternendo in terram, declarauit ſe potẽtiorem eſſe ijs etiam ſi nouiſſent eum. Rurſum igitur largiendo ipſis vires ſuas permiſsi ſunt ſurgere & cœperunt iterum quærere aliquem. *Iterum ergo interrogauit eos,quem quæritis? Illi autem dixerũt: Ieſum Nazarenum. Dixi vobis,*inquit Ieſus, *quod ego ſum,ſi ergo me quæritis,*mando vobis & ita volo, *ſinite hos* diſcipulos meos *abire.*Quod verbum dixit virtute efficiendi,non præcipiendo, vt obedientia laudaretur, ſicut dixit in principio, fiat lux, & facta eſt lux. *Vt impleretur ſermo quẽ dixit, Quia quos dediſti mihi, non perdidi ex eis quenquam.* Sanè ſi iam diſcipuli fuiſſent ab eis appræhenſi,& permiſsi volũtati eorum, & ſi negaſſent Chriſtum, Nihilominus ab eis necati fuiſſent, & ita perditi in æternũ. Huius verbi virtute,nec Petrum ſatis cognitum tenere potuerunt, nec Ioannem, & mulie-

Geneſ.19.
4.Reg.6.
Geneſ.1.

mulieres iuxta crucem ſtantem, nec ipſos Apoſtolos cœperunt ante aduentum Spiritus ſancti. At quare his Chriſti miraculis inſpectis non crediderunt, Iudas, Iudæi, & cohors? quia interna Dei operatione opus eſt vt quis credat, non tantum externis miraculis. Cur habito optimo cibo & optimis pharmacis multis, moritur homo? Quia vt cibus & potiones iuuent, interna virtus naturæ adeſſe debet. Sic etiam eſt in ſpiritu, cuius virtus iam perdita non redditur, niſi ſingulari admodum gratia mediatoris Ieſu. His iam verbis Chriſti permiſsi ſunt Chriſtum agnoſcere, qui antè eum non nouerant. Iudas itaque agnouit eum & cõfeſtim ad cognitum accedens, *Dixit ei: Aue Rabbi*, ſalue dulciſsime, atq; optime Magiſter, *& oſculatus eſt Ieſum*, qui nõ abſtraxit quidem faciem ſuam ab impio ore, ſed non eſt tamen eum reoſculatus, tanquam non dans
Pſal.119. occaſionem diſcordiæ. Cum his enim qui oderunt pacem erat pacificus, nec ſimulans amicitiam vbi vera non erat. *Dixitq; illi Ieſus, Amice ad quid veniſti?* per Antiphraſin, hoc eſt, maximè inimice cur huc venis? An putas me neſcire? optimè ſcio. *Iuda, oſculo filium hominis tradis?* O Iuda tradis tu prodi-

proditoriè in manus impiorum magiſtrum tuum & pijſsimum patrem, me, qui ſum inſignis ille filius hominis, Tradis me oſculo, ſigno amicitiæ? Ambroſius in Lucã: Amoris pignore vulnus infligis, & charitatis officio, ſanguinem fundis, & inſtrumento pacis, mortem irrogas? Seruus dominum, diſcipulus Magiſtrum, Electus authorem? Illud plus confutat ingratum, quòd & tradiderit, qui cum eſſet filius Dei, propter nos tamen filius hominis eſſe voluiſſet, quaſi dicat. Propter te ſuſcepi ingrate, quod tradis. Hìc ferebat Ieſus hypocriſim noſtram, & ſimulatas amicitias noſtras, contra quas orabat Dauid, dicens: Ne tradas me domine cum peccatoribus, & cum operantibus iniquitatem ne perdas me: qui loquuntur pacem cum proximo ſuo, mala autem in cordibus eorum. Da eis ſecundum opera eorum, & ſecundum nequitiam adinuẽtionum ipſorum, ſecundum opera manuum eorum tribue illis, redde retributionem eorum ipſis. Item ingratitudinem falſorum Chriſtianorum. Quàm autem durum fuerit Chriſto iſtud oſculum, perpendere poſſumus ex cœna, vbi perturbauit ſeipſum, prædicendo hanc traditionem ab vno tam

Pſal.27. Ioan.13.

dilecto

dilecto diſcipulo ſuſtinẽdam. Item ex Pſalmis vbi eam prædixit : Homo pacis meæ, admiſſus ad intimam pacem, in quo ſperaui, cui credidi & temporalia mea & ſpiritualia, qui edebat panes meos, corporales & ſpirituales, magnificauit ſuper me ſupplantationẽ. Et: Si inimicus meus maledixiſſet mihi, ſuſtinuiſſem vtique. Et: Si is qui oderat me ſuper me magna locutus fuiſſet, abſcondiſſem me forſitan ab eo. Tu verò homo vnanimis, reputatus dux meus, quia te feci meum procuratorem, in gubernatione temporalium, & notus meus, qui ſimul mecum dulces capiebas cibos, In domo Dei ambulauimus cum conſenſu, ſed ſimulato, ex tua parte; ſcilicet, Tu hæc mihi facis? Nã propter vehementem affectum non complet orationem. Quiſque nouit quam grauiter iraſcatur familiari, & dilecto, cum eſt ingratus. Ex oſculo igitur Iudæ, iã Romani milites cognouerunt eum, & omnes cupierunt irruere in eum. Videntes igitur diſcipuli, quod futurum erat, & iam animati hoſtium proſtratione, *dixerunt ad Ieſum: Domine, ſi percutimus in gladio?* ſiue, volumus nos defendere gladio? *Et ecce,* res noua, & inconſueta diſcipulis Chriſti, *Vnus ex his qui*

Pſalm 40.

Pſalm. 45.

qui erant cum Ieſu, nempe Petrus, *exemit gladium,* quem habebat, & non expectata reſponſione Ieſu, Malchum *ſummi ſacerdotis ſeruum,* ferocius cæteris inſtantem, *percuſſit, & amputauit auriculam eius dexteram. Reſpondens autem Ieſus, dixit:* Ad interrogationem diſcipulorum. *Sinite vſque huc,* vſque huc temporis & non loci. Sicuti dicimus gratia Dei hucuſque vixi, vel pertigi. Sinite vſque nunc. Non defendite vos etiam nunc, ſicut hactenus non defendiſtis vos gladio, ita nec nũc. Et quia dum Chriſtus reſponderet amputauit auriculam, redarguit eum, dicẽs: *Conuerte gladium tuum in locum ſuum, in vaginam. Omnes enim qui acceperint,* ſine authoritate *gladium,* ad aliũ occidendum, *gladio peribunt,* id eſt, Gladio digni erunt perire, & rei mortis. Nec eſt quod putes me defendi gladio tuo. Tunc enim defenſio tua locum haberet, ſi vel inuitus morerer, vel tua defenſione egerem. Nunc autem liberer morior. *Hunc calicem quem dedit mihi Pater non bibam illum?* & tua defenſione non egeo. Nam, *An putas quia nõ poſſum rogare Patrem meum, &* exaudiens me, *exhiberet mihi modo pluſquam duodecim legiones angelorum?* Faciunt au-

tem duodecim legiones, Octoginta millia, octo exceptis. Nam quælibet legio cõtinet ſex millia ſexcentos ſexaginta ſex, & vnus
4.Reg. 19. Angelus occidit vna nocte, centum octoginta quinq; millia hominum in caſtris Sennacherib. Quod ſi verò hoc rogarem Patrem, *Quomodo implerentur ſcripturæ*, à Patre prædictæ? quæ dicunt quod oportet me capi & mori? Notent dominica verba viri, & adoleſcentes, tam faciles ad eximendos pugiones, atque cultellos: & ſciant hominem facilius occidi quàm pecus. In ira, vel perturbatione tactum eſt cor, vel inflictum eſt læthale vulnus, antequam quis ſciat. Audiuimus quoſdam homicidas dicentes; miror quomodo tam facilè hoc actum ſit: Neſciebam quid agerem. Vtinã omnes voluntariè homicidæ vt digni ſunt, gladio perirẽt: certè per hoc multis parceretur: quia ad gladios non tam facilè alij concurrerẽt. Poſt admonitionem igitur Petri, dominus non oblitus miſericordiæ, & potentiæ ſuæ, tetigit auriculam impij Malchi, & ſanauit,
In Lucam atque appoſuit eam. Ambroſ: Operatorem ſuum limus agnoſcit, & operatricem ſuam domini manum, ſequitur caro. Quomòdo enim vult opus ſuum creator inſtaurat: iubere

bere potuit,ſed operari maluit, vt cognoſcamus ipſum eſſe qui è limo terræ corporis membra noſtri, varijs aptauit officijs,& infuſo vigore mentis,animauit. Hoc eſt primum miraculum quo legitur gladio læſum ſanaſſe,& vltimum ſanationis. Et adhuc liber exiſtens, vt omnibus modis innoteſceret,quod voluntariè captus ſit, Vocauit ex turba ad ſe eos, quos honoratiores videbat ex Iudæis,præcipuos Sacerdotes,Magiſtratus templi, et primores plebis. Et ait illis: *Tanquam ad latronem*,homines occidētem & latitātem *exiſtis* cum multa turba nocte intempeſta,*cum gladijs & fuſtibus comprehendere me*, cū nō ſicut latro me geſſerim, ſed quotidie apertè in templo, loco maximè celebri docuerim homines,quæ ſunt vitæ.Cur non ibi cœpiſtis me? Quanquam ſæpiùs me capere voluiſtis, tamen non potuiſtis me tenere,quia nolui.*Sed hæc eſt hora veſtra*,in qua concedo vt omnem malitiam quam concepiſtis in me, expleatis. *& poteſtas tenebrarum*, Nunc datur poteſtas tenebris,diabolo et angelis eius, et ſectatoribus eius,vt me tractēt ſicut voluerint, vt impleātur ſcripturæ. Hoc verbo manifeſtè oſtendit Chriſtus ſe non potuiſſe capi cum

noluit, et nunc voluntariè dare poteſtatem eis, vt eum raperent. *Tunc acceſſerũt cohors & Tribunus, & miniſtri Iudæorum, & manus iniecerunt in Ieſum, & tenuerunt eum, & ligauerunt*, admodum fortiter, vtpote inſtructi à Iuda, vt tenerent eum, & ducerent cautè, & iam vindicantes quod ab eo

In Lucã. proſtrati fuerũt, & tam diu dilati. Ambroſ: Nec intellexerũt infœlices myſterium, nec venerati ſunt tam clementem pietatis affe-ctum, quod etiam hoſtes ſuos nõ paſſus eſt vulnerari. Illi iuſto mortem inferebãt, perſecutorum iſte vulnera ſanabat, ligatus eſt Ieſus, vt nos à vinculis peccatorum noſtrorum, & damnationis ſolueret, dedit ſe ſub poteſtate tenebrarum & impiorum hominum, vt nos erueret de poteſtate tenebrarum, & ſegregaret ab impijs. *Hoc autem totum factum eſt*, quod in horto contigit, *Vt adimplerentur ſcripturæ*, tam quæ iam ſunt allegatæ quàm aliæ, ſiue quæ de captiuitate eius loquuntur, ſiue quæ de alia paſsione, ad

Threno. 4 quam captus, perductus eſt ab inimicis. Spiritus oris noſtri qui nobis dat vitam & flatum, captus eſt in peccatis noſtris, cui diximus in vmbra tua, ſiue obumbratione ſpiritui, viuemus in gentibus. *Tunc diſcipuli omnes, re-*

nes,relicto eo, mente, per infidelitatem, & corpore, *fugerunt*, vnuſquiſq; ad propria, alius huc,alius illuc,& cōpleta eſt ſcriptura Zachariæ,iam citata. Item illa: Extraneus factus ſum fratribus meis, & peregrinus filijs matris meæ. Et: Longè feciſti notos meos à me,poſuerunt me abominationem ſibi. Traditus ſum & non egrediebar, ſiue non effugiebam, oculi mei languerunt præ inopia,& elongaſti à me amicum meum,& proximum meum,& notos meos præ miſeria. Tunc impletum eſt in Chriſto quod ait Pſalmus: Conſiderabam ad dexteram, & videbam, & non erat qui cognoſceret me. Perijt fuga à me,& nō eſt qui requirat animam meā, Clamaui ad te domine,dixi: Tu es ſpes mea, portio mea in terra viuētium, Intende ad deprecationem meam,quia humiliatus ſum nimis. Libera me à perſequētibus me,quia confortati ſunt ſuper me. Et Iob 19. Simul venerunt latrones eius, & fecerunt ſibi viam per me, & obſederunt in gyro tabernaculū meum. Fratres meos longè fecit à me,& noti mei quaſi alieni receſſerunt à me. Dereliquerunt me propinqui mei, & qui me nouerant, obliti ſunt mei. Inquilini domus meæ, & ancillæ meæ ſicut

Pſal. 68.

Pſal. 87.

Pſal. 141.

alienum habuerunt me,& quaſi peregrinus fui in oculis eorum. Seruum meum vocaui,& non reſpondit mihi: Ore proprio deprecabar illum . Halitum meum exhorruit vxor mea, & orabam filios vteri mei. Stulti quoque deſpiciebant me , & cum ab eis receſsiſſem detrahebāt mihi. Abominati ſunt me quondam conſiliarij mei , & quem maxime diligebam auerſatus eſt me. Vt ſcias autem quomodo tractauerint Chriſtum & quam crudeliter, Audi quid contigit.

Adoleſcens autem quidam ſequebatur Ieſum amictus Syndone ſuper nudo,& tenuerunt eum. Ac tantus pauor inuaſit eum vt ille relicta ſyndone,nudus profugeret ab eis , & ſic tunicam intimam pro gladio , id eſt,defenſione vēdidit hic adoleſcens. Omnibus tamen Apoſtolis in hoc perfectior videtur quod non fugit niſi comprehenſus.

Compræhenſum autem Ieſum adduxerunt primum ad Annam ſocerum Caiphæ Pontificis illius anni. Erat autem Caiphas qui conſilium dederat Iudæis; Quia expedit vobis vt moriatur vnus homo pro populo. Ad Annam duxerunt tanquam ſeniorem , honorantes eum , & oſtendentes ei trophæum ſuum . Fortè primum metuebant non audentes

dentes eum per oppidum ducere. Aut, ſicut Cyrillus annotat, hic pepigerat cum Iuda proditore, et ibi accipiebat Iudas pecuniam. At ille ſtatim eum vt erat ligatus, miſit ad domum Caiphæ, ſciens ibi conueniſſe Sacerdotes, Scribas, et Primores populi.

Petrus autem ſequebatur, ex amore dominum Ieſum, ſed tanquam timens, *à longe: & alius* etiam *diſcipulus ſequebatur. Diſcipulus autem ille erat notus in domo Caiphæ Pontificis. Petrus autem ſtabat ad oſtium foris. Exiuit ergo diſcipulus alius qui erat notus Pontifici, & dixit oſtiariæ, et introduxit Petrum, & ingreſſus intro ſedebat cum miniſtris ad ignem calefaciens ſe, vt videret finem.* An ſcilicet dimitteretur ab eis, an ſe liberaret, an in carcerem truderetur, vel occideretur; deinde ipſum euentum. Foris tamen erat, et deorſum cōparatione Ieſu, qui in interiorem domus partē et ſuperiorem ductus eſt. Venit igitur ancilla oſtiaria Caiphæ, et videns Petrum calefaciētem ſe, ad lumen diligēter eum intuita eſt, et dixit ei: *Nónne et tu ex diſcipulis eius es*, viliſſimi hominis? *Et tu cum Ieſu Nazareno eras:* Certè tu ſoles eſſe cum iſto vili Galilæo et

Nazareno Ieſu. Et ait aſtantibus, *Hic cum illo erat. At ille negauit eum coram omnibus dicens: Non ſum* ex diſcipulis eius, non noui eum, *neque ſcio, neq; noui quid dicas.* negans ſcilicet Chriſtum, dum ſe negat eſſe Chriſti diſcipulum, et quicunque ſe negant Chriſti diſcipulos, vel Catholicæ Eccleſiæ filios, quocunque nomine id ſignificent, ſciāt ſe negare fidem Chriſtianam et Chriſtum. *Et exijt foras ante atrium*, ſiue veſtibulum aulæ, *& gallus cantabat. Stabant autem ſerui & miniſtri ad prunas, quia frigus erat, & calefaciebant ſe. Et Petrus* ex timore redijt, et *erat ſtans cum eis, & calefaciens ſe. Exeūte autem illo ianuam, vidit eum alia ancilla, & ait circunſtantibus: Et hic cum illo erat. Et poſt puſillū alius*, ex circunſtantibus, *videns eum* et conſiderans, *ait illi: Nónne & tu ex diſcipulis eius es? Certè & tu de illis es. Et iterum negauit cum iuramento, dicens: O homo non ſum* ex diſcipulis eius: Per Deum, vel ſimili modo. *Et interuallo facto quaſi hora vnius, alius quidam affirmabat dicens: Verè & hic cum illo erat*, tanquam diſcipulus eius. *Nam & Galilæus eſt*, ſcilicet ſicut hic Ieſus. *Dicebāt ergo qui aſtabant Petro, Verè & tu ex illis es. Nam &*

loquela

loquela tua, hoc eſt, idioma loquelæ tuæ Galilæum, *manifeſtũ te facit*. Omnes enim Iudæi eadem lingua loquũtur, ſed alia proprietate in Hieruſalẽ, alia in Galilæa. Sicut Teutonicè loquuntur Flandri, Hollandi, et Brabãti, ſed aliter, et aliter. Et *dicit ei vnus ex ſeruis Pontificis cognatus eius, cuius abſcidit Petrus auriculam: Nonne ego te vidi in horto cum illo, Tunc cœpit anathematizare*, ſiue deteſtari ſeipſum, dicendo; deſcendam in infernum, vel per animam meam, vel ſimili modo: *Et iurare, quia non nouiſſet hominem. Et continuò eo loquente, gallus cantauit. Et conuerſus dominus*, ab ira furoris ſui, *reſpexit* oculis ſpiritualibus miſericordiæ, *Petrum: & recordatus eſt Petrus verbi domini, ſicut dixerat: quia priuſquam gallus cantet, bis*; priuſquam ſit gallicantus, et bis gallus cantauerit, *ter me negabis. Et egreſſus foras Petrus, fleuit amarè*. Sic humiliatus eſt præſumptor, qui etiam cæteris ſe prætulerat, vt diſceret humiliter de ſe ſentire, quãdo à Chriſto cæteris prælatus eſſet. Diſceret et ſubditis peccatoribus compati, et in ſola Dei miſericordia confidere. Negat primò Chriſtum ſimpliciter. Secundò cum periurio. Tertiò cum periurio execratorio ſuiip-

ſuiipſius, quod grauius eſt ſimplici periurio. Quia ex vno peccato, homo ſibi derelictus, ſemper pergit in grauius. Et vbi negat? in ſocietate impiorũ. Vbi deflet? egreſſus foras. Quia reuera amicus ſtultorum ſi-
Prouer.13. milis efficietur, et qui cum ſapientibus gra-
Pſal.118. ditur, ſapiẽs erit. Vnde orabat Dauid: Conuertantur mihi timentes te, et qui nouerũt teſtimonia tua. Negauit primò Petrus, et gallus cantauit, non eſt tamen recordatus verbi Chriſti, nec à ſocietate impiorum abijt, nec fleuit peccatum ſuum. Negauit ſecundò, nec quicquam emendauit, quia videlicet nõdum reſpexerat dominus. Negauit tertiò, et ad galli cantum recordatus eſt verbi Chriſti. Reliquit impios, et fleuit amarè, quia tunc dominus oculis ſpiritualibus miſericordiæ eum reſpexit, conuerſus ab ira ſua, et præueniens eum. Non ſolum enim eſt pœnitentibus Dei miſericordia ad peccati remiſsionem neceſſaria, ſed etiam vt agatur pœnitentia. Fleuit amarè, magno ſcilicet dolore & amore Chriſti, tanquam ſcelera lugens. Rectè Ambroſius in hymno matutino, ad hanc hiſtoriam alludens:

Ieſu labentes reſpice, et nos videndo corrige:
Si reſpicis lapſi ſtabũt, fletúq; culpa ſoluitur.

Et ſuper

Et ſuper Lucam: Reſpice Domine Ieſu Chriſte, vt ſciamus noſtrum deflere peccatum, lauare delictum.

Pontifex ergo, non Annas, ſed Caiphas (ita enim Cyrillus et Ephrem; & hæc eſt veritas. textus enim Ioãnis in libris noſtris mutilus eſt, vt patet ex Cyrillo. Similiter in 7. Synodo actione quinta dicit quidã Conſtantinus epiſcopus Conſtantienſis, quod Euangelium teſtetur Ioannem cum Ieſu ingreſſum aulam Cayphæ) cupiens aliquid ex ore Chriſti deprehendere; in concilio *interrogauit Ieſum de diſcipulis ſuis & doctrina eius*: hoc eſt, quæ eſſet doctrina eius, per quam tot diſcipulos congregabat, & quo tenderet, populos tot poſt ſe congregando. Cupiebat ex ore Chriſti audire aliquid, quod videretur ſignificare doctrinã Chriſti eſſe ſeditioſam, & diſcipulos congregari ab eo ad tumultum excitandũ contra Romanos, vel Moyſen. *Reſpondit ei Ieſus: Ego palàm locutus ſum mundo.* Doctrina mea ſatis nota eſt: nã palàm prædicaui eam mundo, *Ego ſemper docui in ſynagoga & in templo:* in publicis locis, templo ſcilicet & ſynagoga, *quo omnes Iudæi*, qui volunt, *conueniũt*. Nullum dogma in occulto locutus

Cyril in 18 Ioan. Ephrem ſerm. 14.

ſum,

ſum,more hæreticorum. Amplius fortè aliquid explicuit diſcipulis,ſed hoc ipſum etiã populo prædicauit,etſi obſcurius. *Cur me interrogas?* Cum ante de ſceleribus meis informatus eſſe deberes, priuſquam me caperes,nec generales quæſtiones criminales ſunt proponendæ. Vt non eſt dicendum: Qualis eſt doctrina tua. Sed,tu hoc,illo tẽpore docuiſti. *Interroga eos qui audierunt. Ecce hi ſciũt quæ dixerim* & docuerim *ego. Hæc cum dixiſſet, vnus aſſiſtens miniſtrorum dedit alapam Ieſu*, ad complacendum iniquo domino Cayphæ. Et fortaſsis ex ijs erat,qui quondam miſsi ad capiendũ Chriſtum,laudauerunt eius doctrinam, *dicens: Sic reſpondes Pontifici?* O tu homo viliſsime, deberes ſtatim agnoſcere culpã tuam, & humiliter loqui Pontifici, non cum eo agere rigore iuris. *Reſpondẽs ei Ieſus dixit:* (non præbens alteram maxillam, cum non eſſet profuturum) *Si malè locutus ſum Pontifici,teſtimonium perhibe de malo; ſi autem benè*,ſicut reuera locutus ſum; *Cur me cædis?* Dominus Ieſus Chriſtus reſponſione ſua rationabili oſtendit, etiam ſibi non defuiſſe quod diceret,quãdo tacebat,& quod ſi voluiſſet ratione ſe defendere, optimè poſſet.

poſſet. Dominus dominantium probroſam alapā à viliſsimo iniqui Pontificis Caiphæ ſeruo dignatus eſt ſuſcipere, vt ignominiā primæ præuaricationis Adæ domini mūdi, perſuaſam à ſeruili ſerpēte, deleret. Iniquus Caiphas ſeruum non redarguit, ſed videns Chriſtum rationabiliter reſpondere, conatus eſt alio modo crimen in eo quærere, nempe per falſos teſtes. *Summi* enim *Sacerdotes*, hoc eſt, præcipui ſacerdotes, qui quādoque Pontificatum geſſerant, aut de tali genere erant, *& omne concilium, quærebant falſum teſtimonium cōtra Ieſum*, quod poſſent apparenter proponere Pilato, *vt eum morti traderent. & non inuenerunt, cum multi falſi teſtes acceſſiſſent.* Multi enim falſum teſtimoniū dicebant aduerſus eum, fortè quod docuiſſet legem Moyſi eſſe malam, & Sabbathum nullius æſtimādum, aut quod traditiones maiorum deberent contemni, aut, quod ſacrificia non eſſent Deo offerenda, aut quod per Magiam faceret miracula: *Et conuenientia teſtimonia non erant*, vt proponerentur Pilato, vt traderēt eum morti. Hæc omnia audiebat Chriſtus ſtans in medio eorum ligatus. Tunc impletum eſt illud: Inſurrexerunt in me teſtes Pſal. 26.

iniqui,

iniqui,& mentita eſt iniquitas ſibi. Et rurſus:Circundederũt me canes multi,& concilium malignantium obſedit me, & aperuerunt ſuper me ös ſuum,ſicut Leo rapiẽs & rugiens. Dixerunt inimici mei mihi,& qui cuſtodire tanquam iudices debebant animam meam,conſiliũ fecerunt in vnum, dicentes:Deus dereliquit eũ,perſequimini & comprehendite eum, quia non eſt qui eripiat. Aduerſum me ſuſurrabant omnes inimici mei,aduerſum me cogitabant mala mihi, verbum iniquum conſtituerunt aduerſum me. *Nouiſſimè autem venerunt duo falſi teſtes,& dixerũt*,falſum teſtimonium ferentes contra eum: *Nos audiuimus eum dicentem: Ego poſſum deſtruere*,imò deſtruã *& diſſoluam templũ hoc manufactũ,& poſt*, ſiue intra *triduum aliud nõ manufactũ* templum Dei poſſum *reædificare*, & reædificabo. Quod teſtimonium ipſi falſi teſtes alijs mendacijs protulerunt. Putabant enim per hoc ſe oſtendere, quod Chriſtus cuperet templum, & totum Dei cultum euerſum. Secundò quod eſſet blaſphemus, arrogans ſibi poteſtatem diuinam,intra triduum reædificandi templum tantum. Quaſi vellent dicere: cupit deſtruere templum, & promittit

Pſal.21.

Pſal.70.

mittit reædificare, cum non poſsit. *Et non erat conueniens teſtimonium illorum*, vt proponeretur Pilato. Sumpſerunt autem occaſionem huius mēdacij ex Chriſti verbis, quæ peruerterūt. Dixerat enim: Soluite templum hoc, ſcilicet corporis mei, & intra tres dies reſuſcitabo illud. Notent hæc omnes teſtes, ne in ferendo teſtimonio, addant vel minuant, ſed dicant rem ſicut geſta eſt, & ſicut nôrunt. Vt mendacia ab ore noſtro aboleret, hæc veritas ipſa paſſa eſt. Oremus igitur cū Dauid: Et ne auferas de ore meo verbum veritatis vſquequaq;, id eſt, aliqua ex parte, quia in iudicijs tuis, quibus ipſe falſis teſtimonijs vexari voluiſti, ſuperſperaui. Caiphas igitur non inueniens conuenientia teſtimonia, redit ad antiquum modum, expiſcādi ſcilicet ex ore Ieſu. *Et exurgens ſummus ſacerdos in medium*, concitatus ſcilicet ira, contra ordinem iudicij, & myſticè declarans, vacaturam cathedram Pontificatus Iudaici, *Interrogauit Ieſum, dicens: Nihil reſpondes ad ea quæ iſti aduerſum te teſtificantur? Ieſus autem tacebat*, vtpote apertè videns eos contra ordinem iuris omnia agere. Tanquam ouis ſine voce tacebat, vt excuſationes noſtras in peccatis, &

Ioan.2.

Pſal.118.

tis,& Adæ apologiam aboleret. Tacebat, vt noſtram maliloquentiam aboleret & largiretur nobis orationem, & exaudiret nos
Pſal.140. orantes. Pone domine cuſtodiam ori meo, & oſtium circũſtantiæ labijs meis: Non declines cor meum in verba malitiæ ad excuſandas excuſationes in peccatis, cum hominibus operantibus iniquitatem. Tacebat, vt linguam domaremus & recta loqueremur, vt oraremus & exaudiremur, dicentes, da ſermonem rectum, & bene ſonantem in os meum. *Et rurſum ſummus Sacerdos ait illi: Adiuro te per Deum viuum*, ſiue mando tibi per Deum viuum, inuocato ipſius nomine & teſtimonio, *vt dicas nobis an tu ſis Chriſtus filius Dei benedicti.* Chriſtus audito nomine paterno, & ſacerdotis imperio, ex reuerentia diuinæ maieſtatis & vmbratici ſacerdotij, reſpondit: *Tu dixiſti*, hoc eſt, tu quandoque dices, & fateberis, quod ego ſum Dei filius: vt præteritum pro futuro ponatur; vt ſit hic locus ſimilis illi: Non me
Matth. 23. videbitis amodo, donec dicatis: Benedictus qui venit in nomine domini. qui locus de futuro iudicio intelligẽdus eſt. Sic Ambroſius in illud Lucę: Vos dicitis quia ego ſum; Maluit (inquit) ſe regem probare, quàm dicere,

cere, vt damnandi cauſam habere non poſſent, qui quod obijciunt, hoc fatentur. *Veruntamen*, quia ſcio quòd nunc non creditis mihi, & ſcio vos ſic argumentari: Tu es homo ergo non es Deus; hoc *dico vobis*, quod *amodo* poſt hoc tempus, *videbitis filium hominis ſedentem à dextris virtutis Dei*. Ibi ego ſedebo tanquam vnus Deus cum Patre in cœlo adorandus, *Et* poſt videbitis me *venientem* ad iudicãdum *in nubibus cœli*, & hoc vos etiã videbitis, vtpote à me iudicandi. Quibus verbis ſoluit argumentum eorum, allegatis verbis Danielis cap. 7. & ſimul omnes iudices timoris diuini iudicij cõmonuit. At his auditis, *Tunc ſummus ſacerdos* Caiphas *ſcidit veſtimenta ſua*, tanquam deteſtans blaſphemiam, contra tamẽ præceptum legis Moyſi, quo præcipitur vt ſacerdos ſummus nunquam ſcinderet veſtimenta ſua, & myſticè deſignans ſacerdotium ſcindi à populo Iudaico, ſicut ſciſsione veſtis Saul, & ſciſsione veſtis Ahiæ Silonitis deſignabatur auferendum regnum. & ſtatim pronunciat Caiphas, *dicens: Blaſphemauit*, arrogans ſibi diuinum honorem, et Chriſti, cum non ſit. *Quid adhuc egemus teſtibus? Ecce nunc in medio*

Leuit. 21.

1. Reg. 15.

3. Reg. 11.

D *noſtrum*

noſtrum audiuiſtis blaſphemiam : quantum igitur blaſphemat inter ſuos? *Quid vobis videtur? Qui omnes clamauerunt, eũ eſſe reum mortis, dicentes: Reus eſt mortis* . Per vota dixerunt hoc, vel vno clamore, ſed ſtultè. O Caipha, interrogas quid eis videatur, cũ ipſe pronunties eum blaſphemum, & Deo maledicus iuxta legem ſit reus mortis. Pulchrè autem Spiritus ſanctus per os tuum loquitur; Quid adhuc egemus teſtibus. quo vno verbo apertè dicis; Vos hactenus eguiſſe teſtibus, nec potuiſſe inuenire, qui aliquod cõueniens teſtimonium ad necem contra Chriſtum proferret. Sed videamus,
Daniel.9. cur blaſphemauit? Nónne vos ipſi ex Da-
Gene.49. niele & Iacob Patriarcha ſciuiſtis tempus Meſsiæ adeſſe? Nónne reputaſtis de Ioanne Baptiſta qui etiam homo erat, quod ipſe eſſet Chriſtus? Ipſe Ioannes qui tanti à vobis
Ioan.1. habitus eſt, huic teſtimonium perhibuit
Lucæ.3. quod eſſet Chriſtus, & filius Dei. Ipſe hoc miraculorum operibus tãquam certiſsimis
Eſaiæ.35. ſignis à Prophetis prædictis, comprobauit. Cur igitur ſine vllo examine tã facilè pronuncias Caipha quod blaſphemauit? Niſi quia excæcauit te & concilium totum, malitia. Hanc ſuam cõdemnationem Chriſtus ſpecia-

ſpecialiter prædixerat, dicens: Tradetur Principibus Sacerdotum, & Scribis, & Senioribus,& condénabunt eum morte. Hæc audiens merito orabat Christus: Deus laudem meam ne tacueris, quia os peccatoris & os doloſi ſuper me apertum eſt. Locuti ſunt aduerſum me doloſa lingua,& ſermonibus odij circundederunt me,& expugnauerũt me immeritò,etc. Vtinam pro huius iniquæ contumeliæ & condemnationis merito, dignetur omnia christianorum tribunalia terrêre timore venturi iudicij,& dirigere iudices, vt ſolã iuſtitiã præ oculis habeant,ſcelera puniant,iniquè oppreſſos defendant,falſa teſtimonia conuinçant, fraudes detegant,& celeriter ius dicãt. Vt enim hæc faceret in nobis Chriſtus hæc omnia paſſus eſt. Vtinam pro eo quod audiuit: Reus eſt mortis,à nobis reatũ æternæ damnationis auferat,& ab ea cuſtodiat. Mat.20. Marc 10. Luc.18. Pſal.108.

Tunc viri qui tenebant illum, quibus commiſſum fuit vt tenerent Ieſum & cuſtodirent qui (ſicut Marcus indicat) non tantum miniſtri, ſed & quidam Primores erant cæteris callidiores, Audierant enim à Iuda, tenete eum et ducite cautè. *Expuerunt in faciem Chriſti*, patentem ſcilicet,

quæ maxima et intolerabilis eſt animo ingenuo contumeliá. *Et velauerunt faciem eius*, velamen aliquod oculis eius imponentes, vt ei poſſent illudere, et *palmas in faciem, eius* velatam *dederunt & colaphis* ſiue pugnis *eum ceciderunt &* improperantes ei quod Prophetam et Chriſtum ſe eſſe dixiſsit. Dicebant ei viciſsim percutientes, ita vt ſimul percutere viderentur: *Prophetiza nobis Chriſte. Quis eſt qui te percuſſit*. Tu es Chriſtus, et Propheta, reuela nobis igitur hoc occultum. Quis eſt qui dat illam alapam? et quis illam? et quis hanc tibi impingit? *Et alia multa Blaſphemantes dicebant in eum*. Et hæc illuſio duraſſe videtur vſque ad exortum diei. Tunc completum eſt illud Eſaiæ: Corpus meũ dedi percutientibus, et genas meas vellentibus (nam barbam haud dubie admodum crudeliter traxerunt) faciem meam non auerti ab increpantibus, & conſpuentibus in me. Item

Eſaiæ.50.

Thren.3. illud Threnorũ: Dabit percutiẽti ſe maxillam, ſaturabitur opprobrijs. Et illud: Hoſtis

Iob.16. meus terribilibus oculis me intuitus eſt, aperuerunt ſuper me ora ſua, exprobrantes percuſſerunt maxillam meam, ſatiati ſunt pœnis meis. Et 30: capite: Faciem meã conſpuere

ſpuere non verentur. Et benè in domo Caiphæ à Iudæis deſcribitur facies Chriſti conſputa & velata,& improperatũ ei quod eſſet Propheta,& Chriſtus, quia ipſi adeò contemſpſerũt gratiam Chriſti,& eum præſentem, vt ipſe clariſsimè prædictus ſit à Prophetis eis velandus. Velamen enim poſitum eſt ſuper cor eorum, in lectione veteris teſtamenti vſque in hodiernum diem. 2.Cor.3.
Quibus ſimiles ſunt Chriſtiani, nolẽtes agnoſcere Chriſti gratiam & redemptionem, aut etiam cognitam contemnentes. Similiter & ij qui Chriſti ſacramenta, aut ſacramentorum miniſtros irrident. Similiter qui doctores chriſtianæ doctrinæ, aut prædicatores, aut Deo ſpecialiter dedicatos ludibrio habent, quique talibus nocere nituntur. Auferat dominus velamen à cordibus eorum. Nos autem conuenit dicere cum Propheta: Faciem tuam domine requiram, Pſal.26.
ne auertas faciem tuam à me, ne declines in ira à ſeruo tuo. Ne auertas faciem tuam à Pſal.142.
me,& ſimilis ero deſcendentibus in lacum: Ne proijcias nos à facie tua, & Spiritũ ſan- Pſal.50.
ctum tuum, ne auferas à nobis. Quin potiùs domine Deus virtutum, conuerte nos, & Pſal.79.
oſtẽde faciem tuam,& ſalui erimus. Et: Fa- Pſal 118.
 ciem

ciem tuam illumina, ſiue ſplendere facias ſuper ſeruos tuos, et doce nos iuſtificationes tuas. Quæ autem fuerint aliæ blaſphemiæ, non conſtat. Miniſtri autem vt placerent impijs Magiſtris, non defuerunt etiam ſuo officio. *Et miniſtri alapis eum cædebant*, vt ait Marcus.

Mane autem facto conſiliũ inierunt omnes principes Sacerdotum, & Seniores populi, & Scribæ. Sic igitur decurſa nocte, & orto mane conſilium facientes Summi Sacerdotes, cum Senatoribus, & Scribis, & Phariſæis, & vniuerſis qui erant de concilio, etiam qui nocte propter aliquod impedimentum non adfuerant, conſilium inierunt *aduerſum Ieſum, vt eum morti traderent.* Feſtinabant mane, ſperantes ante plenam populi, & intranei, & extranei notitiã, eum occidere, obtinereque per gratiam à Pilato eius mortem. Et ex eo quod dicunt apud Ioannem: Si non eſſet hic malefactor, non tradidiſſemus eum tibi, Videntur conſilio ſuo concluſiſſe, quod ipſi Primores ſimul adirent Pilatum, & peterent ab eo, vt ex fauore erga ſe vellet contentus eſſe ſua aſſertione & cognitione, quam ipſi de Ieſu ſumpſerãt. Sed Deus voluit Chriſtũ apertè

mori.

mori. impedit vbique eorum conſilium, vt pateat Chriſtum non humano conſilio, ſed ſingulari Dei decreto, & propria voluntate mortuum. Ducentes igitur Chriſtum in conſilium ſuum, rurſum iam ſine vinculis, non ligatum, vt fuerat nocte, *Et dixerunt ei; ſi tu es Chriſtus dic nobis*. Ieſus, forte quia quidam aderant qui noctu non fuerant, *Reſpondit illis: Si vobis dixero non credetis mihi*, ſicut ſcilicet ſæpe experimento probaui: *Si autem & interrogauero* vtiles quæſtiones ex ſcripturis, per quas poſsitis edoceri, non dignabimini amore gloriæ veſtræ reſpondere. Sicut interrogaui vos, an licet Sabbatho benefacere, an male? animam ſaluam facere an perdere? an licet ſabbatho curare? Interrogaui quomodo intelligeretur illud Pſal: Ex ore infantium & lactantium perfeciſti laudem. Item, an baptiſmus Ioannis erat humanum inuentum, an cœleſte, & diuinum. Item illud quomodo ſit intelligendum: Lapidem quem reprobauerunt ædificantes, hic factus eſt in caput anguli. Item quomodo conueniat in Chriſtũ filium Dauid illud; Dixit dominus domino meo, ſede à dextris meis. & nõ reſpondiſtis mihi. Sic igitur, ſi interrogauero vos, *non*

Lucæ. 6. & 14.

Matth 21. & 22.

reſpondebitis mihi, neque dimittetis. Hoc tamẽ dico vobis quod *ex hoc* tempore *erit filius hominis ſedens à dextris virtutis Dei*, qui nunc infirmus apparet, ſicut Daniel dixit. *Dixerunt ergo omnes: Tu ergo es filius*
Daniel 7. *Dei?* Nã filio Dei tribuit Daniel ſeſsionem à dextris Dei. *Reſpõdit Ieſus: Vos dicitis quia ego ſum. At illi dixerunt: Quid adhuc deſideramus teſtimonium* cõtra eum? *Ipſi enim audiuimus de ore eius*. Ipſe crimen morte dignum confeſſus eſt. *Iunxerunt ergo eum*, tanquam ſcilicet condemnatum ab eis. *Et ſurgẽs omnis multitudo eorum, adduxerunt eum* ſic vinctum *à Caipha*, hoc eſt, à domo Caiphæ *ad Prætorium atque aulam Pontij Pilati Præſidis*, poſiti à Romanis vt gubernaret Iudæam tãquam procurator Romanorum, vt indicat Luc. cap. 4.

Tunc videns Iudas qui eum tradidit quod damnatus eſſet, pœnitentia ductus, retulit triginta argenteos principibus Sacerdotum, & ſenioribus, dicens: Peccaui, tradens ſanguinem iuſtum. Et impleta eſt prædictio Chriſti in cœna qua dixerat, Iudam confeſſurum quod eſſet traditor, dicẽs: Tu dixiſti, id eſt, tu fateberis. *At illi dixerunt: Quid ad nos? tu videris*, ſis tu ſoliçitus, ſi peccaſti, tu vi-

tu videbis, & experieris pœnã tui peccati: *Et proiectis argenteis in templũ, receſsit, & abiens, laqueo ſe ſuſpẽdit: & ſuſpẽſus, crepuit medius, et diffuſa ſunt omnia viſcera eius; et notũ factũ eſt omnibus habitãtibus in Hieruſalẽ.* In hac Iudæ pœnitẽtia ante omnia cõſiderãdum eſt eam ſimilem fuiſſe pœnitentiæ damnatorum. Erat enim ſic ſpe veniæ. Et ſicut dum ante felix ageret ad Dei omnipotentis miſericordiam in neceſsitatibus ſuis non confugerat: Ita nec in extrema ſua neceſsitate de Deo ſperauit; in quo plus peccauit quam dominum tradendo. Nihil aliud ei defuit; Non dolor, Non confeſsio, non reſtitutio. Deo enim ad Chriſti gloriam diſponente, Iuſtũ confitetur Chriſtum, ſæuiſsimus Chriſti hoſtis, coram ſæuiſsimis hoſtibus. Quàm felix fuiſſet, ſi hæc antè expendiſſet. Et hoc ſimul aduerte, Diabolum & homines impios hanc habere conſuetudinem, vt peccata primũ extenuent, & temporalia bona proponant, neglectis æternis. At Poſtquam peccatum iam perpetratum eſt, tunc Diabolus omnia grauia facit, & peccatum exaggerat, vt deſperationem inijciat. Tunc homines impij qui antea promittebant aureos montes, elidunt homi-

hominis frontem, atque derident. Tunc aiunt, quid ad nos? tu videris, cum quibus tua ineptè conſumpſeris, poſtea pauperem deridebunt, & nocebunt vbi poterũt: Hæc eſt merces amatorum mundi. Grauati ſcrupulo conſcientiæ, nõ ad ſocios cum quibus peccarunt, ſed ad pios viros debent confugere; qui & conſolaturi ſunt illos, & docturi, atque pro eis rogaturi. Si Iudas ad Mariam, aut ad Petrum iam flentem, aut ad ipſum Ieſum confugiſſet, ſine ſpe veniæ non abijſſet. Merito laqueo petijt, qui laqueum domino ſuo ſtruxit. Sicut orat Chriſtus in

Pſal.34. Pſal: Gratis abſconderunt mihi interitum laquei ſui, ſuperuacuè exprobrauerunt animam meam. Veniat illi laqueus, quem ignorat, & captio quam abſcondit, apprehendat eum, & in laqueum cadat in idipſum. Tales fiunt multi in ſemetipſos, quales ſe geſſerunt in proximos. Meritò diffuſa ſunt viſcera eius, & crepuit, qui foris quidem amicitiam ſimulauit, ſed intus in interioribus inſidias abſcondit. Quando autem ante Chriſti mortem innotuit omnibus mors traditoris, quæ notior fiebat ex ſuſpenſione propria, crepatione, & diffuſione viſcerũ, & argenteorum proiectione in templo, &

& tur-

& turbæ ad capiendum Ieſum deductione, (ipſa enim turba capiẽtium Chriſtum, non tacuit Iudam fuiſſe ducem). Tũc impletum eſt illud Pſal: In hoc cognoui ô pater, hoc eſt, cognoſcere alios feci quod voluiſti, ſiue dilexiſti me, quia non gaudebit inimicus meus ſuper me, ſed maximè anxius, & occiſus à ſeipſo & condemnatus, in inferno erit ante meam mortem. Me autẽ propter innocentiam ſuſcepiſti & cõfirmaſti me in cõſpectu tuo in æternum. *Principes autem Sacerdotum*, id eſt, ſummi ſacerdotes acceperunt quidem argenteos, ſed *acceptis argenteis* dixerunt, tanquam obſeruatores externarum cæremoniarum, cum virtutẽ earum abnegarent: *Non licet eos mittere in corbonam*, Non licet hãc pecuniam mittere inter ea quæ offeruntur Deo, quia *pretium ſanguinis eſt*: ſanguis per eam emptus eſt, *Et conſilio inito*, tãquam pio vſui applicantes eam, *emerunt ex illis agrum figuli*, deputandum *in* contemptibilium *peregrinorum ſepulturam*, vt ex vilitate loci vilis eſſet Chriſti ea pecunia venditi, memoria. Atq; *propter hoc vocatus eſt ager ille, ager ſanguinis*. Nec viderũt homines cæci, ſe hoc modo ſui ſceleris memoriam longè latéq; pro- Pſal. 40.

pagare.

pagare. Verè hoc pretio nobis qui peregrini eramus à promiſsionibus Dei, emptus eſt ager pretioſus, Chriſtus, in quo pacificè ſepeliamur peccato: huic mundo quidem viles, Deo autem pretioſi. *Tunc impletum eſt quod dictum eſt per Hieremiam Prophetam, dicentem*, alibi quàm in eo libro quem habemus (nam alia Hieremiam ſcripſiſſe conſtat ex 2. Machab. 2:) *Et acceperunt* Sacerdotes *triginta argenteos, pretium appretiati, quem appretiauerunt* & emerunt *à filijs Iſraël*, id eſt, à filio Iſraël, Iuda ſcilicet, vel à filijs Iſraël, ſupple exiſtẽtes, & orti. Nempe ipſi ſacerdotes Iſraëlitæ. Poſterius eſt Euthymij. *Et dederunt eos in agrum figuli, ſicut conſtituit*, vel dixit *mihi dominus*. Cui ſi-
Zach. 11. milia prædixit Zacharias, & dixit: Ait dominus ad eos, Si bonũ eſt in oculis veſtris, adferte mercedem meam: ſi non, quieſcite. Hoc eſt, permiſi eis vt emerent me argento, ſi vellent, & ita inclinaui corda, vt facerent prout vellent, & appenderunt mercedem meam triginta argenteis. Et dixit dominus ad me: Proijce, ſiue fac proijci eos ad figulum: decorum pretium, quo appretiatus ſum ab eis. & tuli triginta argenteos, & proieci eos in domo domini ad figulum.

Pro

Pro triginta autē argenteis redduntur venditori & emptoribus, Pſal. 108. triginta maledictiones. Quindecim enim ibi ſunt verſus geminam ſinguli continentes maledictionem. Beda in 1. cap. Actuum.

Mane igitur Ieſus vinctus, omnibus qui iam eum condemnauerant comitantibus, ductus eſt ad domum Pilati, & in ipſum Pilati prætorium ingreſſus. *ipſi autem Iudæi non introierunt in prætorium* Pilati, *vt* ſcilicet conſortio hominis gentilis *non contaminarentur,* & ita nō poſſent veſperi comedere agnum Paſchalem. Magna ſanctitas. Innocentem occidere non timent, putántque ſe occiſo vero agno Paſchali, non fieri immundos, ſed contactu, vel terræ, vel parietum domus Pilati. verè erant tantum ſepulchra dealbata, foris fulgētia; intùs plena fœtoribus, & ſpurcitia. Pilatus igitur cōdeſcendens eis, *Exiuit ergo Pilatus ad eos foras, &* Ieſu intus exiſtente, *dixit* ad eos: Video vos hunc hominē adduxiſſe tanquā à me ad mortem condemnandum. Cupio igitur ſcire *quam accuſationem adfertis aduerſus hominem hunc? Reſponderūt & dixerunt ei: Si non eſſet hic malefactor, non tibi tradidiſſemus eum.* Mirum Pilate quod hoc

quæras,

quæras,cum nos Sacerdotes, & Scribæ, & Phariſæi ſenatores omnes ſimus viri bonæ famæ,et iuſtitiæ zeloſi, qui nunquam tradidiſſemus tibi aliquem occidendum, niſi ſciremus eum,et ſceleratum, et malefactorem. Ad noſtram igitur petitionem condemna eum,et cogita nos omnia rectè examinaſſe. Pilatus indignatus hoc reſponſo, ſciénſque iudicem ipſum debere cognoſcere de cauſa,antequam condemnet. Nec alijs quantumcunq; in ſpeciem ſanctis credere, niſi iuris ordine ſeruato. *Dixit ergo eis Pilatus:* Si vos ſcitis eius malefacta, *accipite eum vos, & ſecundum legem veſtram iudicate eum.* Si lex veſtra etiā hoc habet,quod incognita cauſa; aliquis in aliorum gratiam occidatur. Indignantis eſt iſta reſponſio; magnáque irreuerentia Deum afficiūt Iudæi,dum iuſtior gentilis inuenitur, quàm qui iactabant ſe habere Dei legem. *Dixerūt Pilato Iudæi: Nobis non licet interficere quemquam,*auferentibus ſcilicet nobis hoc Romanis,alioqui iam diu occidiſſemus eū. *Vt ſermo Ieſu impleretur quem dixit,ſignificans qua morte eſſet moriturus,*quādo dixit
Ioan. 12. ſe exaltandum à terra,ſiue ſuſpendendum. Niſi enim fuiſſet Iudæis ablata poteſtas occiden-

cidendi,cum Chriſto imponerent blaſphemiam,in Deum,& falſam doctrinam, Non patibulo, ſed lapidibus eum oppreſsiſſent, iuxta cap.24.Leuit.& Deut.13.Sanè ex 10. capite Ioſue videntur, qui dicuntur crucifixi eſſe in veteri teſtamēto, ante fuiſſe occiſi quàm figerentur in patibulo,ita vt à veteris teſtamenti ſanctis nemo fortè legatur necatus crucis affixione:licet mortuus ante ſit poſt ſuſpenſus, & fortaſſe hæc diſponente Spiritu ſancto in honorem Chriſti. Sicut nunc nemo amplius in honorē Chriſti clauis affigitur patibulo.

Videntes igitur quod Pilatus vellet ſcire cauſam, *cæperunt eum accuſare, dicentes: Hunc inuenimus ſubuertentem*, ſiue ſeducentem, ſcilicet à vera religione noſtra, *Gentem noſtram, & prohibentem dari tributa Cæſari,& dicentem ſe Chriſtum regem eſſe.* Pilatus tanquam gentilis qui nullius faciebat religionem Iudæorum,Non curauit primū crimen:præſertim cum ſatis audiſſet ex fama,quod pia doceret Chriſtus.Secundum autem, ſciebat veriſimiliter ex Herodianis qui cum diſcipulis Phariſæorum tentarant Chriſtum, vel ex alijs qui ei Chriſti reſpōſum narrauerant,falſum eſſe.Tertium

igitur,

igitur,quod honori Cæſaris videbatur cõtrariũ, præſertim cum Iudæi ſemper vnum regem ſibi venturum iactarent, & inuiti ſubeſſent Romanis; & quia ſatis ex fama audierat eum haberi Chriſtum; & miracula, & ſequela populi viderẽtur aliquod huius rei ſignum dare,ſtatuit examinare: *Introiuit ergo iterum in prætorium Pilatus,& vocauit Ieſum*, qui intus erat, nec hoſtium ſuorum accuſationes audierat, *Et dixit:Tu es*,aut arrogas tibi quod ſis *Rex Iudæorum?* Quia enim ſciebat quod per inuidiam tradidiſſent eum,Nec veriſimilis ei hæc tertia accuſatio videbatur,ideò ſimpliciter interrogat,non callidè multum inquirẽs. *Reſpondit ei Ieſus: A teipſo hoc dicis,an alij dixerũt tibi de me?* Habes tu(inquit)in me huius rei argumentum? an alij dixerunt tibi hoc de me per inuidiam? Scio enim quod dixerint tibi,etſi nõ audiui. *Reſpondit Pilatus: Nunquid ego Iudæus ſum?* hoc eſt, egò non ſum Iudæus:ideóq; neſcio quas phantaſias apud vos habeatis. Ego quidem non inuenio in te ſigna veri Regis, ſed vos Iudæi multa phãtaſmata habetis,& iactatis neſcio quem Regem. *Gens tua & Pontifices tradiderunt te mihi: Quid feciſti?* aperi mihi in quo eos offen-

offenderis,aut vnde imponant tibi, Quod te Regem dixeris? innocētiæ Chriſti magnum teſtimonium eſt, iudicē interrogare, Quid feciſti? Tam innocentis vitæ fuit, vt nec apparenter ſuſpicari potuerit vir ſecularis ſcelus in eo. *Reſpondit Ieſus: Regnum meum non eſt de hoc mundo. Si ex hoc mundo eſſet regnum meum, miniſtri mei et ſatellites vtique decertarent armis, vt non traderer Iudæis. Nunc autem* ſatellites non habeo, Quia *regnum meum non eſt hinc.* Non metuas Pilate: Regnum meum non eſt aduerſariū Romanis: Non habet milites,nec arma,nō quærit dominia populorum,quia non eſt regnum terrenum, & externum. *Dixit itaque ei Pilatus,* benè expendēs eius verba; *Ergo rex es tu?* ſaltem tu dicis te regem,etſi non huius mundi. *Reſpondit Ieſus: tu dicis,* hoc eſt,fateberis quod ſum Rex. & vt ſcias qualis Rex ſum: *Ego ad hoc natus ſum,* ex natiuitate mea atque natura hoc habeo, *Et ad hoc veni in mundum,* cum antequam in mundo homo eſſem,fuerim, ad hoc,inquam, *Vt teſtimonium perhibeam veritati,* Dei: Teſtimonium,inquam,non tam verbis,quàm opere. Parum enim prædicauit, & Apoſtoli plus prædicauerunt exte-

Rom.15. rius;& promiſsionis Dei impletione. Veni enim propter veritatem Dei in mundum, ad confirmandas promiſsiones Abrahæ & alijs patribus factas. Cyrillus paulò aliter: Natum autẽ(inquit)ſe veniſſe in mundum, hoc eſt, hominem factum aſſerit, vt teſtimonium veritati perhiberet, id eſt, vt falſitatem è mundo expelleret, & diaboli tyrannide deſtructa, veritatẽ, id eſt, Deũ regnare faceret. Omnis qui ex veritate promiſ-

Gen.22. ſionum Dei; ſiue omnis qui Abrahæ promiſſus eſt, ſiue omnis filius promiſsionis, (promiſsionis, inquã, Abrahæ factæ à Deo, dicente: Benedicẽtur in ſemine tuo omnes gentes) audit vocem meam, credens & obediens mihi tanquam Regi ſuo: atque hoc modo opere comprobat, atq; ſigillat quod

Ioán.3. Deus eſt verax in ſuis promiſsis, quibus promiſit Patribus cõuerſionem hominum,

Proſper in editione noua. ſicut patet lib. 1. de vocatione omniũ gentium ca. 10. Auguſt. interpretatur de omnibus prædeſtinatis, quos dicit eſſe ex veritate, hoc eſt, Chriſto credere. *Pilatus* audiens philoſophicam & ſapientem ſententiam, ſed paruifaciens hæc, more ciuilium ſectantium res externas, *dicit ei: Quid eſt veritas? Et cum hoc dixiſſet, iterum exiuit ad Iu-*

ad Iudæos, indicans Chriſtum verbis philoſophari more philoſophorum ſpeculãtium multa, qui non ſolent dominis rerum facilè ſeſe opponere. *Et dixit ad ſummos Sacerdotes & turbas: Nihil inuenio cauſa in hoc homine. At illi* Sacerdotes & turbæ *inualeſcebant*, valide in magna multitudine, *dicentes: Cõmouet*, perturbat ſua doctrina *populum, incipiens à Galilæa vſque huc*. Omnis regio & omnis populus per eum perturbatus eſt. *Pilatus autẽ audiens Galilæã*; nactus, vt putabat, occaſionem ſe liberandi, *interrogauit ſi homo Galilæus eſſet. Et vt cognouit quod de Herodis ditione eſſet* (erat enim Tetrarcha Galilææ) *remiſit eum*, vt ſubditum, *ad Herodem*, tãquam eum qui Iudæus eſſet, & melius ipſorũ ſcita intelligeret qui etiam ipſe Herodes celebraturus Paſcha erat Hieroſolymis illis diebus. Sic igitur Ieſus ducitur à Pilato ad Herodem, creſcente ſemper ſine dubio turba inimicorum Chriſti.

Herodes autẽ viſo Ieſu, gauiſus eſt valde, erat enim cupiens ex multo tempore videre eum, eo quod audierat multa de eo, & ſperabat ſignum aliquod videre ab eo fieri.. Putabat enim magicis & ſecretis artibus Chriſtum miracula facere, quas artes & ipſe diſ-

cere cupiuiſſet; vtpote totus vanus exiſtens, ſicut Nobiles, ſunt, qui Deum non timent: qui pluris hiſtrionem faciunt quam Dei ſacerdotem; pluris ioculatores et vanos fabulones, quam Euangelij prædicatorem. *Interrogabat aut Herodes Chriſtum multis ſermonibus*, curioſis, vanis, et fortaſsis impuris et immundis, et fortaſsis etiam ſimulatè ſanctis. *At Ieſus nihil ei reſpondebat*, vtpote quem ſciebat vt vulpem agere, et pulchra verba dediſſe Ioãni; fraudulenter ſimulaſſe ſe Ioannis diſcipulum, vt eum necaret. Et quia liberari nolebat, et quæſtiones indignæ erãt reſponſione Chriſti. *Stabant aut principes ſacerdotum & Scribæ conſtanter accuſantes eum*, & admodum diligenter & attentè. Metuebãt enim ne Herodem Chriſtus miraculis & ſignis delectaret, ita vt nollet eum occidere. *Spreuit autem Herodes illum cum exerçitu ſuo*,
Prouer. 30 ſiue nobilibus. Qualis enim eſt princeps, tales & miniſtri eius. In hoc autem eum contempſit, quod illuſit *indutũ veſte candida*. qua propterea eum induit, vt oſtenderet hunc eſſe qui ambiret Magiſtratum & regnum ſuper Iudæos. Solent enim apud Romanos, ſicut Pilatus & Herodes bene ſciebant,

bant,candidati ambire Magiſtratum. Vnde & Pilatus, & milites eius, quaſi tribuerunt ei illuſoriè regnum, quod Herodes iudicabat eum ambire. Candida veſtis in ſcripturis diuitum & victorum eſſe deſcribitur. Vnde in Apoc. Martyres dicuntur candidis induti. & Iacobus dicit diuites candidis veſtiri. Nihilominus ſi qua vetus hiſtoria habeat, & fatuorum veſtes candidas eſſe ſolere, Non eſt inconueniens Chriſto ſeu fatuo eſſe illuſum. Solent enim nobiles religioſos ſeruos Dei pro fatuis habere. Sicut de Propheta dicebãt nobiles ad Iehu: Quid venit inſanus iſte ad te. Et Feſtus ad Paulum: Inſanis Paule. *Et remiſit* Ieſum Herodes *ad Pilatum*, vt ipſe iudicaret eum, & callidè Iudæos placans, & Pilato honorem deferens, innocentem non defendens, ſed veſtis albæ illuſione Pilato ſignificans, vt tanquam ſeditioſum & ambiẽtem regnum occideret. *Et facti ſunt amici Pilatus et Herodes* ex delatione mutui honoris. *Nam anteà inimici erant ad inuicem.* Tunc impleri cœptum eſt illud Pſalmi: Aſtiterunt Reges terræ, Herodes ſcilicet & Pilatus, & Principes Sacerdotum & plebis, cõcordes facti ſunt, in aduerſando Deo, & Chriſto eius.

Apoc. 3. Iacobi 2. 4. Reg 9. Actuũ 26. Pſal. 2.

Actuũ 4. Sicut dicũt Apoſtoli in Act: Ex quo etiam ſatis patet, quòd Herodes concors fuerit Iudæis, vt Chriſtus occideretur, ſic vt Pilatus quoque remiſsione Chriſti, ſignificauerit Herodi, vt eum occideret. Beda in Lucam, & Hilarius in Pſal. ſecundum, neſandiſsimum (Herodes & Pilatus) fœdus in occidẽdo Chriſto pepigerunt. Videtur autem Herodes curioſorum & vanorum hominum typum geſsiſſe, qui cum delectẽtur Poëtis impudicis, hiſtorijs vaniſsimis, idololatrarum & idolorum artibus curioſis, & inutilibus libris, & inanibus philoſophis & colloquijs, de tàlibus libenter agunt & audiunt; imò eôuſq; progrediuntur vt hæreticorũ colloquia, ſiue libros legere audeãt. Cum, inquã, tales ſint, nihil audire poſſunt de Chriſto, quandoquidem ea quibus delectantur, in Chriſto nõ inueniunt. Ideóq; chriſtianam doctrinam parui faciunt. Oremus ne tales ſimus, dicẽtes cum Propheta:
Pſal. 118. Viam iuſtificationum tuarum inſtrue me, & exercebor in mirabilibus tuis. Et: Auerte oculos meos ne videant vanitatem. Siliquæ porcorum, quæ animam ſaturare non poſſunt, & cibus dæmonum ſunt carmina Poëtarum, & libri hæreticorum, atque curioſo-

Hiero. de filio prodigo.

rioſorum & Philoſophorum.

Reduxerunt igitur dominũ Ieſum veſte candida indutum atque vinctum ad Prætorium Pilati, *& accuſabant eum ſummi ſacerdotes*, & ſeniores, ſiue primores plebis *in* valde *multis*. Examinabátq; Pilatus coram populo teſtimonia, quæ contra Ieſum producebantur. Grauia quidem imponebant, ſed teſtimonia idonea & conformia non erant. *Ipſe autem Chriſtus* tãquam ouis ſine voce, *nihil reſpondit*. *Tunc* corãm omnibus *rurſus interrogauit eum Pilatus: Non audis quanta aduerſum te dicant teſtimonia? Vide in quantis te accuſent. Ieſus autem nihil reſpõdit; ita vt miraretur Præſes vehementer*, quod vir cuius in reſponſis erat expertus ſapientiam, nihil reſponderet; cum tamen obiectiones eorum facilè erant ſolubiles. Videns igitur patrocinio Chriſtum deſtitutum, maximè quia ex fama miraculorum Chriſti ſuſpicabatur aliquid eximij de Chriſto, (nam ſimplicem etiam innocẽtem non ſic defendiſſet) *Pilatus autem conuocatis principibus ſacerdotum, & magiſtratibus, & plebe, dixit ad illos: Obtuliſtis mihi hunc hominem quaſi auertentem populum, & ecce coram vobis interrogans*, vel exa-

men faciens, audiendo teſtes, ſcilicet ſuper populi ſubuerſione, *Nullam cauſam inuenio in homine iſto, ex iſtis in quibus accuſatis eum. Sed neque Herodes* crimen depræhendit, *nam remiſi vos ad illum, & ecce* mirum atque nouum, cum vos tantopere flagitatis huius mortem, *nihil dignum morte actum eſt ei*, hoc eſt, probatum eſt cõtra eum. vos non portatis aliquod monimentum, in quo oſtendatur de aliquo crimine conuictus, ſicut dicitur actor qui ad alterius damnationem in iudicio agit.

Emẽdatum ergo illum dimittam. Si quid nocuit, ait, vel offendit vos, hoc abunde caſtigabo, nec tamen occidam. At Pilatus ſtatim hoc conſiliũ mutauit: Cogitauit enim: Quid etiam innocentem affligere opus eſt, cum aliud medium liberandi eum habeamus? Conſuetudo enim erat (contra tamen

Exod. 22. legem domini, qui mãdat maleficos occidi) à Romanis introducta, ad placendũ Iudæis, vt vnus mortem meritus, daretur populo, quemcunque plebei petijſſent, & hoc ſingulis annis in ſolennißimo eorum feſto, nempe Paſchate; vt hoc modo Romani viderẽtur fauere religioni Iudæorum. *Pilatus autem habebat quendam vinctum, nomine*

Barra-

Barrabam, admodum ſceleribus nobilem, *qui* fuerat ſeditioſus in ciuitate, *& in ſeditione latrocinium fecerat*. Cogitauit igitur ſic Pilatus: hic homo longo tempore toti populo fuit odioſus; proponam igitur eis, an eum cupiant ſeruare viuum, an Ieſum. alium enim non dabo eis, ſi neutrum elegerint, & ſic cõfido quod odio Barrabæ, & amore ſeruandi priuilegij, plebs petet ſibi dari iſtum Ieſum. *Dixit igitur eis: Eſt conſuetudo vobis, vt dimittam vobis vnum in Paſcha. Quem igitur vultis vobis vnum de duobus dimitti? Barabbam? an Ieſum qui dicitur Chriſtus?* quaſi diceret: qui nihil aliud meruit, quam quòd verbo vno exceſsit, ſine vlla veri apparentia dicendo ſe Regem Iudæorum. Conſultate (ait) vos plebei: ad vos enim maximè pertinent talia priuilegia. *Summi autem Sacerdotes, et Seniores populi perſuaſerunt populo, vt peterent Barrabam, Ieſum verò perderent*, mittẽtes ſcilicet ſuos, ad omnes, qui aliquid valebant ad plebem. metuebant enim ne plebei eligerẽt Ieſum, & dicentes: nos ſcimus Ieſum admodũ pernitioſum; & commendabant Barrabam præ Ieſu. verè dicitur: vulgus nulla certa ratione ducitur. Antè à Scribis, & Senioribus ti-

mebatur,nunc eis cooperatur. Cum igitur aſcendiſſet turba vt daret Pilato reſpõſum, rogabat Pilatum vt dignaretur antiquam conſuetudinem obſeruare. *Pilatus autem reſpondit* conſueta ſubſannatione vtens: *Quem vultis vobis de duobus dimitti?* vultis dimittam vobis regem Iudæorum? quaſi diceret: libenter hoc faciam. Ideò verò tam multum laborauit pro Ieſu, quia ſciebat certò quod ob ſolam inuidiam gloriæ miraculorum, & inſignis doctrinæ, qua etiã eorum vitia tangebantur, ſiue quia totus populus Chriſtũ ſequebatur, tradiderant eum ſummi ſacerdotes. *At illi clamauerunt omnes ſimul, Tolle, tolle hunc, & dimitte nobis Barrabam. Reſpondit Pilatus: Quid igitur faciam de Ieſu qui dicitur Chriſtus?* vultis & eum (ait) vobis donari? Volebat enim dimittere Ieſum, *Dicũt omnes, Crucifige, crucifige eum, crucifigatur.* Poſtulant mortem, & mortem moleſtiſsimam crucis. *Reſpondit Pilatus: Quid enim mali fecit? At illi iterum ſucclamabant* magno clamore, ſine ratione vlla, *dicentes: Crucifigatur.* Libet
Micheę.6. cum propheta dicere & exclamare: Popule meus quid feci tibi, aut quid moleſtus fui?
Eſaiæ.5. reſponde mihi. Vinea mea electa, ego te planta-

plantaui & fodi, et torcular extruxi. quomodo conuerſa es mihi in amaritudinem, vt Barrabam hominem necatorem dimitteres, et me vitam tuam ad crucem poſtulares? verè verè Barrabã habebitis, hoc eſt, ſeditionibus et latrocinijs replebimini, et Chriſto carebitis, ſicut miſeri poſtulatis. Tunc impletum eſt illud: Aperuerũt ſuper me os ſuum, ſicut leo rapiens et rugiens. At quid nos dicemus, aut quid nobis hic agebat Chriſtus? Auferebat à nobis illam prauitatem, qua penitus perturbamur, ac cœlum terræ miſcemus, ſi paululũ indignior, noſtro ipſorum iudicio, in officijs atq; honoribus præferatur: accuſamus adminiſtratores & collatores, nulla eſt requies. Vita omnium, poſtpoſita eſt homicidæ, & hoc in ea cauſa, vbi de morte, & morte crucis agebatur. Pſal.21.

Pilatus igitur videns nõ ſuccedere prius conſilium ex conſuetudine dimittẽdi vnũ, redijt ad illud quod prius conceperat, & dixit ad eos: *Nullam cauſam mortis inuenio in eo: Corripiam ergo eum, & dimittam*, Auguſt.lib.3.de conſen.euang.cap.9. incipit à flagellis domini paſsionem. *Tunc ergo apprehendit Ieſum Pilatus, & flagellauit*, per

ſeipſum, vt dicit Beda in Marcum: vel per milites,aut tortores ſuos, vt ait Hieronymus in Matthæũ,qui exuerunt Ieſum.Hæc flagellatio facta eſt ad columnam, ſicut ait Beda in Lucam,dicẽs:quæ columna in Eccleſia Sion montis poſita,dominici cruoris vſque hodie cernentibus veſtigia,certa demonſtrat. Et hoc ex Hieronymo in epitaph.Paulæ. Tunc completum eſt.quod ait
Pſal.34. Pſalmus:Congregata ſunt ſuper me flagel-
Eſaiæ 53. la,& ignoraui. Et Eſaias:Diſciplina ſiue flagellum,quo nos pacificati ſumus cum Deo ſuper eum, & liuore ſiue vibicibus eius,ſa-
Pſal.31. nati ſumus. Multa enim flagella debentur peccatori,ſed vt ſperaremus in domino, & miſericordia nos circundaret, ideò ipſe flagellatus eſt. Quàm acerba fuerit hæc flagellatio & tota irriſio, ex eo perpendi poteſt,
Matt.20. quod Chriſtus ſpecialiter eã prædixit:Tra-
Lucæ 18. detur autem Gentibus ad illudẽdum & flagellandum & conſpuendum.Non contenti autẽ quatuor Pilati milites inſultare Chriſto, conuocãt totam cohortem Pilati,multos viliſsimos homines, crudelitate gaudẽtes, maximè autem in doctorem religionis Iudaicæ, quam ipſi Romani maximè deteſtabantur.Sic Chryſoſt.in Ioan.

Et mi-

Et milites plectentes coronã ſiue ſertũ *de ſpinis, impoſuerunt capiti eius*, tanquam regale diadema, *& veſte purpurea induerunt eum*, coccineã ſiue rufam chlamidẽ, hoc eſt, ſtrictam & militarem veſtem ſuper purpuram ponentes. Aut ipſa veſtis purpurea, veſtis coccinea dicitur à rufis limbis, aut erat purpura cocco ſimillima. Et hoc ideo fecerunt, quia reges purpurati eſſe ſolebãt. *Et dederunt ei arundinem in dextera*, tanquam regale ſceptrum, & tota cohors peſſima dabat ei alapas, et cõſpuebant in eum. *Et poſito genu adorabant eum*, tanquam regem, *Et dicebãt ei* viciſsim ſalutantes eum; *Aue rex Iudæorum. Et accipientes arundinem, percutiebant caput eius*. Erat enim dura arundo, ſicut eſt ea, qua Candelæ accenduntur in templo. Hæc fecerunt Pilato volente, aut permittente, vt ſatis videretur peccatum caſtigatum, quo dixerat ſe Regem, & Iudæi permittebãt ex odio Chriſti: non tamen eo habito, erant ceſſaturi. In hac ſpinea corona reipſa impletũ eſt quod Abraham in ſacrificio obedientiæ vidit arietem inter vepres hærẽtem cornibus, quem obtulit holocauſtum pro filio. Sanctus Petrus Apoſtolus in memoriam huius ſpineæ Geneſ.22.

coronæ

coronæ in capite ſuo ita attonſus eſt, vt ex crinibus coronæ ſpecies reſultaret. Sed & omnes clerici & monachi imitati ſunt, vt ſicut omnis Eccleſia ſe munit ſigno crucis, & in eo intelligit ſe debere vitia ſua crucifigere, ita arctioribus frenis continentiæ ſe aſtringentes, portent ſpecialiter formam ſpineæ coronæ.

Beda.lib.5 hiſto.anglo.cap.22

Poſtquam ergo Pilatus iudicauit eum ſatis crudeliter tractatum, vt immites animi Iudæorum placandi viderentur, *Iterum exiuit Pilatus & dixit eis: Ecce adduco eum vobis foras, vt cognoſcatis quia nullam in eo inuenio cauſam*, ſcilicet ob quã tam iniuſtè afflictus ſit, vt ſit confeſsio propriæ iniquitatis, & ſit oratio defectiua, per dolorem prolata. Sic videtur Cyrillus exponere. Poteſt & hic eſſe ſenſus: Ecce iam videndum eum vobis produco, vt cognoſcatis ex viſu quod iam nõ ſit amplius aliqua cauſa, id eſt, crimen aliquod; vtpote iam ſufficiẽter punito. Etiam ſi antea in eo cauſa fuiſſet, cognoſcite, nunc me nullam cauſam necis habere. *Exiuit ergo Ieſus* flagellatus *foras, portans ſpineam coronam, & purpureum veſtimentum*, & arundinem in dextera, & ſputis conſpurcata facie, *& dixit eis* Pilatus: *Ecce homo,*

homo,quaſi diceret: videte quomodo ſit dilaceratus, & afflictus, & repletus opprobrijs. Iam ſaltem furibunda ira & exitiale odium conquieſcat, occurrat vobis quod homo eſt. Et ſi vos offenderit, attamen non eſt canis, homo eſt, ex vobis ipſis compatimini ei, etc. Egredimini filiæ Sion, & videte regem Salomonē in diademate, quo coronauit eum mater ſua in die deſponſationis illius, in die lætitiæ cordis eius, id eſt, in humana natura, quam aſſumpſit ex matre Maria, dum cupiuit ſponſam ſibi aſſumere Eccleſiam, in die ad quam maximo deſiderio ſemper anhelauit. Quia delitiæ eius, eſſe cum filijs hominum. Sed nunquid eſt ille ſpecioſus forma præ filijs hominum, iſte ſanctus ſanctorum, & rex regum? Nunquid iſte eſt filius Dei Patris? Nunquid iſte eſt filius virginis? In te iam ô Ieſu non eſt ſpecies tua, neque decor: Abſconditus eſt vultus tuus & deſpectus, nihilque dignitatis in te videmus, quinimò tanquam leproſus, & à Deo percuſſus, & humiliatus appares. Me me, iam video Ieſu, nō te. Vt enim deſponſares tibi vxorem, & vt fieres rex verorum Iudæorum, verè dolores noſtros, & omnes turpitudines vxoris tuæ, & eorum veſtes aſſump-

Cantic. 3.

Prouer. 8.

Eſaiæ 53.

aſſumpſiſti, verè dolores noſtros ipſe tuliſti,& peccata noſtra ipſe portaſti. Omnes nos quaſi oues errauimus, vnuſquiſque in viam ſuam declinauit,& dominus poſuit in te iniquitatem omnium noſtrum. In vibicibus flagellorum tuorum, video flagitia mea & peccâta carnis & impudicitiam veneream: In corona ſpinea, video ſpinas & tribulos,ex maledicta terra cordis mei germinantes:ſpinas,inquam,ſolicitudinum vitæ huius,pro voluptatibus,diuitijs & honoribus: in diademate video meam ſuperbiam ac dominandi libidinem:in veſte purpurea video mearum veſtium ineptam exquiſitionem et ornatum:in arũdine vaniſsimam hominum in caducis fiduciam: in alapis et ſputis,et genu flexionibus, et percuſsione capitis,irreuerentiã et ſacrilegia in te;contemptum præceptorum tuorum,orationes hypocriticas labijs non corde tibi oblatas, et in omnibus opprobrijs tuis, dedecora mearum præuaricationum. Pro hac dignatione meritò te ſalutamus,et dicimus: Aue rex Iudæorum verorum, in ſpiritu Iudæorum,qui vt ab eis ſuſcipereris,tanquam verus Rex,ſic eorum miſerias, et ſcelerum ſimilitudinem induiſti. A Gentilibus tamen

velatus non es (ſis benedictus) quia ſemper firmaturus eras oculos tuos, ſuper eos.

Cum vidiſſent ergo eum Pontifices et Miniſtri, metuētes ne populus flecteretur miſericordia, ſtatim *clamabant: Crucifige, crucifige eum*. Crudeles beſtiæ ſæuiſsimam et probroſiſsimam mortem flagitare non ceſſant Hoc facit odium, et præcipuè odium veræ pietatis. *Reſpondit eis Pilatus*, indignatus crudelitate eorum: *Accipite eum vos & crucifigite*, ſi audetis: *Ego enim non inuenio in eo cauſam* crucis. *Reſponderunt ei Iudæi*, nouam accuſationem indicantes: *Nos legem habemus*, Moyſi ſcilicet; in qua Romani promiſerunt nos defendere: *Et ſecundum legem debet mori, quia filium Dei ſe fecit*, cum non ſit. *Cum ergo audiſſet Pilatus hūc ſermonem magis timuit*, ne fortè filium dei alicuius ex dijs multis Gentilium ſic tractaſſet; præſertim cū videret Chriſtum tam ſapientem et imperturbatum, et audiſſet tam multa eius miracula.

Et ingreſſus eſt prætorium iterū, & dixit ad Ieſum: vnde es tu? ex qua familia, ex qua domo? ex quo patre? *Ieſus autem reſponſum non dedit ei*, vtpote qui tam iniquè flagellauerat et irriſerat, et nimis Iudæis adula-

batur et deferebat: nec capere etiam poterat naturalem Dei filium hunc verè eſſe, vt qui Deum non cognoſcebat. *Dixit ergo ei Pilatus*, indignans et ringens: *Mihi non loqueris? Neſcis quia poteſtatem habeo crucifigere te, & poteſtatem habeo dimittere te? Reſpondit Ieſus* Pilato, nimium deprimenti ipſum Chriſtũ pro honore innocentiæ ſuæ, & maieſtatis ſuæ: *Non haberes poteſtatem aduerſus me vllam, niſi tibi datum eſſet deſuper.* Tantæ dignitatis ſum ego, vt non haberes poteſtatem vllam caſtigandi, vel nocendi mihi, niſi ſupra modum ſingulari Dei munere concederetur tibi. *Propterea qui me tradidit tibi, maius peccatũ habet.* ideóq; quanto dignior perſona ſum, tãto maius eſt eorum peccatum qui tradiderunt me tibi, vt interficiar. Vbi quidem adhuc Pilatum non condemnat eiuſdem peccati cuius Iudæos, vtpote qui in mortem Chriſti nondum conſenſerat, ſubindicat tamẽ ei, quod ſi condemnaret Chriſtum ad mortem, longè grauius peccabit, quam ſi quemlibet de vulgo iuſtorũ interficiat. *Et exinde*, id eſt, ex eo tempore, quia timuit Pilatus ne eſſet filius Dei, & quia Chriſtus dignitatẽ ſuam magnam eſſe oſtẽdebat, *quærebat dimittere Ieſum.*

Ieſum. Iudæi autem videntes quòd non vellet eum occidere,ex eo quòd filium Dei ſe dixiſſet, ad priorem calumniam reuertuntur,& *clamabant, dicẽtes: Si hunc dimittis;* claret quod *non es amicus Cæſaris. Omnis enim qui ſe regem facit,contradicit Cæſari.*

Pilatus igitur metuens ne accuſaretur ab eis, tanquam malè defendens honorem Cæſaris,*cum audiſſet hos ſermones, videns quod nihil proficeret,ſed magis tumultus fieret*,& nimium inualeſcerent voces eorum, quibus poſtulabant vt crucifigeretur,volẽs populo ſatisfacere,*Adduxit foras Ieſum,& ſedit pro tribunali in loco qui dicitur Lithoſtrotos*,id eſt,lapide ſtratus,*Hebraicè autem Gabbatha*,id eſt,editior locus.

Sedente autem eo pro tribunali, miſit ad Pilatum vxor eius,dicens: Nihil tibi et iuſto illi non intromittas te de iuſto iſto.*Multa enim paſſa ſum per viſum propter eum*: ne ſcilicet à te occideretur. Multas minas terribiles in ſomno habui hodie. Deo dirigente venit nuncius iſte, cum ſederet Pilatus pro Tribunali, vt toti populo cõſtaret hoc diuinum teſtimonium, & nulla relinqueretur perfidis excuſatio. Et per hoc vxoris teſtimonium, veriſimiliter quidam poſtea

ſunt conuerſi. Nec per dæmonem, ſed per ſanctum Angelū, hæc viſa facta ſunt vxori Pilati; forte etiam extra lectum: vt Pilatus etiam nullam haberet excuſationem. Sicut Pharaoni & Nabuchodonoſor per angelum ſomnia reuelata ſunt. Solēt quandoque mulieres Deum plus viris timere. Diabolus autem vſq; ad mortem non deſtitit Iudæos incitare ad Chriſti necem, ſicut
Ioan. 14. ait Chriſtus: Iam non multa loquar vobiſcum: venit enim princeps mundi huius. Et
1. Cor. 2. ſi cognouiſſent, ait Paulus, nunquam dominum gloriæ crucifixiſſent. Auguſt. lib. 3. de conſenſu Euangeliſt. cap. 13. Matthæus prius commemorat nuntium vxoris cum poſteà ſederit pro tribunali, vt præſtrueret, qua maximè cauſa Pilatus nec volebat nouiſsimè Ieſum tradere Iudæis. Quod à Deo facta ſit reuelatio vxori Pilati per ſanctum angelū, dicit Hilarius, Hieronymus, Chryſoſtomus, Theophilactus in Matthæum: Ambroſius lib. 1. in Lucam cap. 23. Auguſt. ſermone 121. qui eſt ſermo ſecundus feriæ tertiæ poſt Dominicam Palmarum: Beda in 33. caput Iob, qui inter opera Hieronymi ponitur. Sed à diabolo fuiſſe dicunt, falſus Ignatius in epiſt. ad Philippenſes, falſus Cypria-

Cyprianus in tractatu de operibus cardinalibus Chriſti: Rabanus citatus à Thoma in Cathena. Et Bernardus ſerm. primo de Paſcha; ſed ibi dicit etiam quod dæmones per Scribas Chriſtum voluerint prouocare ad deſcendendum. Cum illi tantum improperantes & ridētes dixerint. Verus Ignatius in epiſtola ad Epheſios, docet diabolum latuiſſe mortem domini. Et Leo ſermone 10. 11. & 15. de paſsione domini, Cyrillus quoq; in illud Ioannis: Quod facis fac citius, dicūt diabolum occidiſſe Chriſtum, quia nō nouerat eum. Similiter Auguſt. 12. de Trinitate cap. 14. & 15.

Pilatus autem negligēs timorem populi & vxoris mandatum, *dixit Iudæis: Ecce Rex veſter. Illi autem clamabant: Tolle, tolle, crucifige eum. Dicit eis Pilatus*, per riſum: reputabitur vobis in perpetuum opprobrium, ſi dicatur quod rex veſter ſit crucifixus: *Regē veſtrum* ergo *crucifigam? Reſponderunt Pontifices: Nō habemus regem niſi Cæſarem.* Nunquam voluerunt hoc Iudæi fateri. iam odio Regis ſui hoc fatentur. Verè amplius non habuerunt Regem Chriſtum, ſed terrenos tyrannos ferre coguntur inuiti. Sed ô Pontifices vbi eſt à vobis ſemper expecta-

tus Meſsias, ſi nullum habetis Regem niſi Cæſarem? vbi Abraham, qui expectauit ſemen per quod omnes gentes eſſent benedicendæ? Vbi Iacob qui dixit è Iuda naſciturum eum, qui eſſet expectatio Gētium? Vbi
Deuter. 18 Moyſes qui Prophetam ſimilem ſui dixit venturum? Vbi Dauid qui dixit Chriſtum
Pſal 71. dominaturum à mari vſque ad mare? Sic
Eſaiæ 9. Eſaias: Super ſoliū Dauid, & ſuper regnum eius ſedebit, vt confirmet illud & corroboret in iudicio & iuſtitia, amodo & vſque in
Hiere. 23. ſempiternum. Hieremias: Regnabit rex & ſapiens erit, & faciet iudicium & iuſtitiam in terra. Et hoc eſt nomen quod vocabunt
Ezech. 34. eum: Dominus iuſtus noſter. Sic Ezechiel,
Daniel. 2. Micheæ 5 Daniel, Micheas, & alij omnes. Iam apertè omnibus Prophetis & Moyſi renunciatis, qui longè alium Cæſarem & Regem, quàm Cæſarem Romanum promiſerunt.

Erat autem tunc *paraſceue Paſchæ, hora quaſi ſexta*, ſiue duodecima, in meridie ſcilicet ſecundum computum noſtrum, quod tempus erat finis illius tēporis, quod trium horarum erat, & à prima parte ſui, in qua tertia hora diei tranſacta erat, vocabatur tertia, ſicut tres horæ ſequentes vocantur ſexta: & tres aliæ nona; & tres præcedētes,

mane ſiue prima. Scriptura hic loquitur ſicut nos, dum dicimus eſſe horam primam, ſcilicet tranſactam, & auditam eius ſignificationem per campanam. Et congruè admodum circa ſextam præparabatur in Tribunali Pilati Chriſti condemnatio. quia & domi præparabatur ad necē agnus Paſchalis veſperi ſumendus: vt eadem hora toſti ſint agnus Paſchalis in veru, & Chriſtus in cruce. Cum igitur tam promptam confeſſionem Pontificum pro Cæſare audiſſet Pilatus, iuſsit adferri peluim. *Et accepta aqua lauit manus ſuas*, in ſignum Innocentiæ ſuæ (ſicut Iudæi in cæde cuius ignorabatur author, ex Dei lege facere ſolebant in ſanguine brutorum) *Coram omni populo dicens: Innocēs ego ſum à ſanguine Iuſti huius, vos videritis. Et reſpondens vniuerſus Populus dixit: Sanguis eius*, ſiue vindicta ſanguinis eius, *ſuper nos* veniat, *& ſuper filios noſtros*. Quaſi dicerent: nihil metuendum eſt, nulla vindicta veniet Pilate: Omne peccatum in nos libenter ſuſcipimus. O miſer Pilate ſi laueris te nitro, & omnibus aquis maris, ſordens manes in ſcelere tuo, qui audes ore nefario condemnare, quem iuſtum pronuncias. Nihil iuuat te, quod alij in ſe

Deute. 21.

ſuſcipiunt tuum ſcelus: Fatua eſt huiuſmodi defenſio vel excuſatio. Non ſolum digni ſunt morte impetrantes, ſed & exequentes: multò magis impetrãtes, vel authoritatem tribuentes, quàm orãtes vt ſcelus fiat. Crudeles Iudæi, quibus non ſatis fuit ſeipſos vindictæ diuinæ obſtringere, ſed & filios ſuos adiunxerũt. Et videmus hodie veniſſe ſuper eos Dei vindictam, tum quia vbique profugi & odioſi ſunt, tum quia horribiliter excæcati, & dorſum eorum ſemper ad

Pſal.68. terrena incuruatum eſt. At tanta eſt Dei miſericordia, vt quoſdam ſic clamantes & quorundam filios, ab optata damnatione eripuerit. Sanè ſicut paruuli per alios peccatum contraxerunt, vt paſsione Chriſti à damnatione redimi indigeant; ita & per alios, parentes ſuos, ad necẽ Chriſti cooperati ſunt, etiam antequã eſſent, dum iudici metuenti occidere Chriſtum, obſides dantur, vt audacter eum occidat. Clamet vniuerſus populus Chriſtianus: Sãguis Chriſti ſuper nos & ſuper filios noſtros, ad hoc videlicet, vt eo aſpergamur & emundet nos ab omni iniquitate, vt lauemus & dealbemus ſtolas noſtras in ſanguine agni, vt propter ſanguinẽ agni vincamus antiquum

ſerpen-

ſerpentem. *Tunc* igitur *dimiſit eis Barrabam, qui propter homicidium & ſeditionem miſſus fuerat in carcerem, quem petebant: Ieſum autem tradidit* per ſentẽtiam *voluntati eorum*, vt ſcilicet *crucifigeretur*. Tunc impletum eſt illud: Captabunt in animam iuſti, & ſanguinem innocentem condemnabunt. Tunc dilatauerũt ſuper Chriſtum os ſuum omnes inimici eius, et dixerunt: Euge, euge, viderunt oculi noſtri. Chriſtus autem orabat: Vidiſti domine ne ſileas, domine ne diſcedas à me. Exurge et intende iudicio meo Deus meus et dominus meus in cauſam meam. Iudica me ſecundum iuſtitiam tuam domine Deus meus, et non ſupergaudeant mihi, etc. Vtinam dignetur dominus Ieſus Chriſtus pro hac iniquiſsima condemnatione nos liberare ab illa peſſima auditione et iuſta ſententia: Ite maledicti in ignem æternũ. Ita ſcilicet dirigendo nos in hac vita vt tunc à dextris collocemur.

Pſal.93.

Pſal.34

Matt.25.

Tunc igitur milites præſidis prolata ſententia *ſuſcipientes Ieſum*, ſicut leones parati ad prædam, *exuerũt eum purpura, & induerunt veſtimentis ſuis*, vt melius agnoſceretur, et vt ipſi veſtes haberent. Duxerunt

igitur

igitur milites Ieſum, vt crucifigerent eum.
Geneſ. 22. *Et* ipſe tanquam verus Iſaac propriam *baiulans ſibi crucem, exiuit* à Prætorio Pilati, *in eum qui dicitur Caluariæ locum*, quod ex irriſione militum factum eſt, vt patibulum videretur eſſe quaſi faſces regales, Deo autem ita diſponente ad deſignandum Chriſtũ in labore & ignominia ſua portare noſtra peccata; Nóſque ſimiliter cum ignominia debere & moleſtia mortificare concupiſcentiam noſtram. Tunc impletum eſt illud Eſaiæ: Sicut ouis ad occiſionem ducetur, & illud Hieremiæ: Ero tanquam agnus qui portatur ad victimam. Auguſt. tractatu 117. in Ioannem: Ibat (inquit) ad locum vbi fuerat crucifigendus, portans crucem ſuam Ieſus. Grande ſpectaculum, ſed ſi ſpectetur impietas, grande ludibrium, ſi pietas grande myſterium: ſi ſpectetur impietas, ignominiæ documentum, ſi pietas grande fidei munimentum: Si ſpectetur impietas ridet regẽ, pro virga regni lignum ſui portare ſupplicij; Si pietas videt Regem baiulantem lignum ad ſemetipſum figendum, quod fixurus fuerat etiam in frontibus Regum; in eo ſpernendo oculis impiorum, in quo erant gloriaturi corda ſanctorum. Dicitur

Eſaiæ 53.

citur enim: Mihi abſit gloriari niſi in cruce domini noſtri Ieſu Chriſti. Ipſe crucem ſuam geſtans humero commendabat, & lucernæ arſuræ Eccleſiæ, quæ ſub modio ponenda non erat candelabrum ferebat. *Ducebantur autem cum eo duo alij nequam*, malefici & latrones, vt ipſe ſcilicet tanquam princeps latronum inter eos crucifigeretur, hoc procurantibus Iudæis, vt compleretur ſcriptura, dicens: Et cum iniquis deputatus eſt. Galat. 6. Eſaia 53.

Exeuntes autem portam ciuitatis, ſiue circa portam ciuitatis, *inuenerunt prætereuntem* occurrẽtem ſibi *quendam* Afrum *hominem, Cyrenêum, nomine Simonem, venientem de villa, Patrem* duorum inſignium Chriſti diſcipulorum, *Alexãdri & Rufi*. Beda, Euthymius & Theophilactus interpretãtur eſſe duos, Alexandrum & Ruſum: Græcus textus in quibuſdam codicibus habet tãquam ſit vnus, dictus: Alexander ipſius Rufi, ſcilicet pater. Ita vt Simon iſte fuerit pater Alexandri, & Alexander pater Rufi, cuius Rufi meminit Paulus ad Romanos vltimo. *Hunc Simonem angariauerunt*, vi adegerunt inuitum vt ſequeretur Ieſum, & *vt tolleret crucem eius*, vt portaret

taret patibulum eius. Tam vilem enim reputabant ipſi Chriſtum, vt nec tortores, nec alij vellent ferre eius crucem. Ideò autem fuit neceſſe alteri imponere,& à Chriſto auferre,quia Chriſtus laſſus, cum cruce procedere non poterat.Et benè exijt extra portam,vt oſtenderet ſe eſſe figuratum per

Heb.13. animalia, quorum ſanguis inferebatur in ſancta per Pontificem. Horum enim corpora cremabãtur extra caſtra, ad deſignandum Chriſtum extra ciuitatem paſſurum, & relictis Iudæis ad Gentes commigraturum. Exeamus igitur ad eum extra caſtra, improperium eius portantes, & extra ſocietatem impiorum. Non enim habemus hic manentem ciuitatem, ſed futuram inquirimus.

Sequebatur autẽ multa turba populi, quidam ad deriſionem, quidam ad compaſsionem: *& mulierum,quæ plangebãt & lamentabantur eum,* quod viri impunè non feciſſent. Ideóq; etſi multi eſſent, quibus diſplicebat mors Chriſti,flere tamen non audebant,ne arguerentur tanquã ſeditioſi. *Conuerſus autem ad illas* flentes mulieres *Ieſus, dixit:* Vos *filiæ* Sion ſiue ciues *Hieruſalem, nolite flere ſuper me, ſed* multo magis flere debetis

debetis *ſuper vos ipſas, & filios veſtros*, quã ſuper me. *Quoniã* certò hoc prædico, quod in hac quæ nunc proſperrimè agere videtur ciuitate, *ecce venient dies*, tantæ tribulationis, *in quibus dicent* homines; *Beatæ ſteriles, quæ non genuerunt, & vbera quæ non lactauerunt*, eo quod non videbunt ſaltem in prolibus infinitam miſeriam. *Tunc incipient* optare & *dicere montibus, Cadite ſuper nos: & collibus; operite nos*. Quæ omnia in euerſione Iudæorum per Titum & Veſpaſianum completa ſunt, & in die iudicij magis complebuntur. Tunc comparatione parentum vel magiſtrorum qui ſcandalizarunt filios vel diſcipulos ſuos, felices erunt, qui nec patres, nec magiſtri fuerunt, quia ipſorum damnatio ex aliorum impietate non augebitur. Tunc optabunt homines mori, & opprimi terra, & non continget eis. Et ratio omnium eſt, *Quia ſi in viridi ligno hæc faciunt*: ſi tam vilia, & tam acerba faciunt in arbore viridiſsima & fructifera, Chriſto, pro alienis peccatis; *In arido quid fiet?* quid fiet à iuſto iudice in arbore arida, non habente vllum fructum, idque pro peccatis ſuis? Sanè incomparabiliter acerbius punietur. Vtinam viridiſsima vitis per

Baſili. de virgini.

tis per ſuccum Spiritus ſancti nos inſerat ſibi, vt aliquid viriditatis & fructuum, ablata naturali noſtra ariditate, ex ipſo hauriamus, ne æternis ignibus addicamur.

Venerunt igitur in Golgotha, quod eſt interpretatum, Caluariæ locus, vbi ſcilicet ſolent rei interfici, ideóque multa cadauera & caluariæ ibi iacebant, multúſque fœtor erat in loco. *Et dederunt ei bibere vinum myrrhatum cum felle miſtum*, ſiue felle permixtum. Quod à pijs oblatū erat vt Chriſto daretur pro conſolatione, hoc illi nebulones abliguriebant, aut ſaltem corrumpebant. Et cum illuſione tanquam ipſe rex eſſet, qui deberet habere pincernam, ei obtulerunt, *& cum guſtaſſet* felleum potum, *noluit bibere*. Videtur autem ipſi potus factus per modum ſorbitiūculæ, ita vt & eſca dici poſſet. Vnde ait Pſalmus: Dederūt in eſcam
Pſal 68. meam fel. Guſtat Chriſtus de felle, vt guſtū primæ præuaricationis aboleret, & peccata gulæ noſtræ auferret, non tamen bibit, quia guloſorum peccata non in cibo traiecto in viſcera, ſed in ipſa traiectione conſiſtunt, Fortaſſe ideò Chriſtus bis in guſtu punitus eſt, vt oſtendatur & inſipiētes tentari à gula, & contra eam debere pugnare, & eos

qui iam mortui videntur mundo, ſæpè ad gulam declinare. Vtinam noſtras comeſſationes & ebrietates, totámque gulam à nobis auferat hæc guſtatio myrrhati & felliti vini.

Et poſtquam venerunt in locum qui dicitur Caluariæ, ibi crucifixerunt eum: clauis perforantes manus & pedes, non tamen aliquod os manuum vel pedum confringentes. *Et cum eo* ſimiliter duos latrones clauis affixerunt, *vnum à dextris* Chriſti, *& alterum à ſiniſtris, medium autem Ieſum,* vt ipſe videretur fuiſſe princeps latronum. Mors autem crucifixorum eſt acerbiſsima & ignominioſiſsima. Acerbiſsima quidem quia diu durat ſupplicium, eo quod in locis remotis à corde cõfigũtur, & quia grauitas corporis continuò auget dolorem pondere ſuo. Si quis cupit experiri quid ſit pati crucem, extendat quinque dominicis orationibus tantum manus ſuas, & flectat genua; vel ſtet erectus, experietur quomodo ſit laſſandus. Ignominioſiſsima quidẽ, quia omnium inſpectioni & riſui exhibetur cruci appenſus, & diu durat ignominia. An verò Chriſtus ſit cõfixus, ſtans ſuper tabulatum aliquod, cruce prius fixa in terrã, an ve-

an verò crux iacuerit in terra, & ſic ipſe
confixus ſit, & pòſt cum cruce exaltatus,
neſcio. Tunc completum eſt illud Pſalmi:
Pſal. 21. Foderunt manus meas, & pedes meos, dinumerauerunt, ſiue dinumerare potuerunt
Pſal. 87. omnia oſſa mea. Et illud: Pauper ſum ego,
& in laboribus à iuuentute mea: exaltatus
autem, humiliatus ſum, & conturbatus. Hic
Num. 21. erectus eſt ſerpens, ſcilicet venenatus in ſi-
Ioan. 3. militudinem carnis peccati: tamen æneus
non habens vllum venenū peccati. Vt eum
aſpicientes, qui vero veneno antiqui ſerpentis occiſi ſunt, ſanentur & non pereant,
ſed habeant vitam æternam. Hic eſt nouus
Adam non per ſuperbiam & inobediētiam
Geneſ. 3. mittens manum ſuam ad lignum ſcientiæ
boni & mali, ſed per humilitatem & obedientiam ad lignum ſtultitiæ. Hic eſt verus
Ioan. 1. agnus Dei, qui tollit peccata mundi: hic eſt
fons patens domui Dauid, & habitantibus
Zacha. 13. in Eccleſia in ablutionē peccatoris, & mēſtruatæ, hic eſt altare holocauſti et thymiamatis in cornibus, et extremitatibus ſuis
Hebre. 9. ſanguine aſperſum, hic fluit ſanguis pro
peccato emundans conſcientias ab operibus mortuis ad ſeruiendum Deo viuenti.
Venite igitur omnes qui laboratis et one-

rati

rati eſtis,et hic reficiemini. Venite imprimis Turcæ,hæretici et infideles, Accedite ad eum et illuminamini, et facies veſtræ non confundentur. Exaltatus eſt enim à terra, vt omnes à profundo infidelitatis ad ſe traheret et dicamus ei, Adauge nobis fidem,credimus domine,adiuua incredulitatem noſtram.Trahe nos de profundis errorum,ad te curremus in odorem vnguentorum tuorum. Illuceſce his qui in tenebris ſedent,et in vmbra mortis, et da eis fidem tui domine.Conuerte nos domine ad te,et conuertemur. Venite deſperãtes præ multitudine peccatorum veſtrorum.Exaltatus eſt enim, vt nemo quantumuis profundè iaceat,deſperet,quin oculos ad eum erigẽs, ſanetur. Ipſe ſerpens peccatum et maledictum factus eſt, vt vos à maledicto peccatorũ liberaret.Abundè fluit ſanguis ad purgandos vos in remiſsionem peccatorum veſtrorum. Ipſe vulneratus eſt propter iniquitates noſtras,attritus eſt propter ſcelera noſtra.Dicite igitur ei:Miſerere mei Deus ſecundum magnam miſericordiam tuam. Aſperges me domine hyſopo,& mundabor lauabis me,& ſuper niuem dealbabor. Agnus Dei,qui tollis peccata mundi,miſerere

Lucæ 17. Marci 9. Cantic 1. Lucæ 1. Galat. 3. Eſaiæ 53. Pſal. 50.

nobis. En, pendet expanſis manibus, atque
confixus, vt neminem venientem poſsit re-
pellere, ſed omnes magno amore ſuſcipiat.
Philip. 2. Venite ſuperbi, humiliauit ſe filius Dei vſq;
ad patibulum crucis, inter latrones, vt ſu-
perbiam veſtram necaret, & diceretis ei:
Pſal. 35. Non veniat mihi pes ſuperbiæ. Venite li-
bidini & gulæ ſeruientes, ipſe Chriſtus con
fixus eſt clauis, vt vos diceretis ei & impe-
Pſal. 118. traretis: Confige timore tuo carnes meas, à
iudicijs enim tuis timui. Ipſe ſanguine de-
fluente exaruit, vt vos oraretis, dicentes:
Pſal. 25. Vre renes meos & cor meũ: Cor mundum
Pſal. 50. crea in me Deus, & ſpiritum rectum inno-
ua in viſceribus meis. Venite auari, inaniter
glorioſi, & terrenorum ſectatores, & vide-
Matt. 8. te quod nõ habet vbi caput ſuum inclinet,
Pſal. 21. & opprobrium eſt omnium hominum. Ve-
nite delicati & torpidi & videte, cur tanto
labore Chriſtus laborauerit. Venite qui
verbis & factis proximo eſtis iniurij, &
agnoſcite quid iniuriarũ in verbis & factis
ſuſtineat dominus. Venite qui proximum
non diligitis, ſed odio vel inuidia proſequi-
Rom. 5. mini, & videte charitatẽ filij Dei erga nos
impios, vt per eam & nos accenderet ad
ſuum amorem. Venite immiſericordes &
videte

videte quomodo filius Dei inimicorū ſuorum miſertus ſit. Venite inobediētes & rebelles, qui iugum ferre non vultis, neque cuiquam ſubeſſe, vel præcepta ſuperiorum ſeruare, & videte quod filius Dei obediuerit vſque ad mortem crucis, vt nobis obedientiam largiretur. Dicite ei igitur, noſtras rebelles ad te compelle propitius voluntates: Da domine quod iubes: fiat voluntas tua, ſicut in cœlo & in terra. Dictum eſt enim ô Ieſu de te quod ſi poſueris pro peccato animam tuam, videbis ſemen longæuum, & voluntas domini in manu tua dirigetur. Dictum eſt de te quod lex domini in manu mediatoris poſita eſt. Tu enim veniſti implere legem, tu miſſus es in ſimilitudinem carnis peccati, vt iuſtitia legis impleretur in nobis. Venite etiam pij & humiles, iuſti, miſericordes, terrenorum contemptores, & agite gratias domino dicentes: Mihi abſit gloriari niſi in cruce domini noſtri Ieſu Chriſti, per quē mihi mundus crucifixus eſt, & ego mundo. Sed non ita gratias agatis, quaſi ea cruce amplius non egeatis. Egetis enim multum per omnem modum. Si enim iniquitates veſtras obſeruare voluerit, nō ſuſtinebitis.

Philip.2. Matt.6. Eſaiæ 53. Galat 3. Matt.5. Rom.8. Galat.6.

Ioan.13. Si non lauerit vos non habebitis partē cum eo, ſed ſpes veſtra eſt, quia hæc redemptio
1.Cor 4. copioſa eſt, & nolite iudicare voſipſos antequam dominus veniat, quia etſi conſcij vobis non eſtis, non tamen in hoc iuſtificati eſtis. Forte occulta ſcelera Deo conſpicua in corde veſtro vos latent. Deinde non poteritis antiquum ſerpentem & laqueos vincere, niſi per ſanguinem huius agni. Di-
Pſal.50. cite igitur: Amplius laua me ab iniquitate mea. Aſperges me domine hyſopo. Ab oc-
Pſal.18. cultis meis munda me domine, Proba me
Pſal 138. Deus & ſcito cor meum, Interroga me, &
Pſal.140. cognoſce ſemitas meas. Et: Cuſtodi me à laqueo quem ſtatuerunt mihi, & à ſcandalis
Pſal.110. operantium iniquitatem. Non des in com-
Matt.6. motionem pedem meum. Ne nos inducas in tentationem. Dicamus pro Eccleſia, pro omnibus: O crux aue ſpes vnica, defenſor noſter aſpice, inſidiantes reprime. Manus confixæ ſunt vt opera manuum noſtrarum dirigeret, pedes etiam vt dirigeret greſſus noſtros ſecundum eloquium ſuum. Crucifixus eſt autem dorſo verſus Hieruſalem & Orientem, facie reſpiciens ad Occidētem. Dextera ad Aquilonem, ſiniſtra ad Meridiem, vt docet Sedulius; & Beda ex eo, & Damaſ-

Damaſcenus lib. 4. cap. 131. quali poſitione etiam aſcēdit, vt ex veſtigijs digitorum pedis lapidi impreſsis colligi dicitur; atq; oculos ſuos ad Occidentales vertens, & ſuper Romanam Eccleſiam in Occidente poſitā, ad quam Petrum & Paulum præcipuos Apoſtolos erat miſſurus, & vbi pactum cum Petro initum erat cuſtoditurus, oculos ſpirituales firmans.

Nudus autem crucifixus eſt, qualis erat Adam in paradiſo, & quales naſcimur, & Geneſ. 1.
tanquam Noë amore nimio inebriatus, à Geneſ. 10.
maledicto filio irriſus: ſed ab alijs honoratus. Tanquam Eſaias nudus incedens, & Eſaiæ 20.
tanquam verus Dauid nudatus, tanquam ſcurra ex deuotione ante arcā deriſus à ſterili Michol. 2 Reg 6.
Tunc completum eſt illud: Ipſi Pſal. 21.
verò conſiderauerunt & inſpexerunt me. Licet enim Chriſtus non habuerit carnem pudendam, vtpote totam obedientem ſpiritui, habuit tamen ſimilitudinem carnis peccati & pudēdæ. De ſimilitudine autem & apparentia ita oritur pudor, vt de veritate. In vituperio enim hominum non differunt eſſe, & apparere. Ideò autem hanc maximam pœnam Chriſtus ſuſtinuit virgo de virgine natus, ipſa puritas, vt doceret in-

 lecto,

lecto, & alibi omnes homines, etiam coniugatos pudorem,& honeſtatem, reducerétque nos ad eum ſtatum,in quo nudi non
Pſal 21. erubeſcant, & vt hanc maximam pœnam indicet. Prophetæ cum quatuor Euangeliſtis diligenter inculcant Chriſto fuiſſe omnes veſtes ablatas,quanquam & ibi alia pœna fuit, nempe ſuſtinere damnum omnium rerum, & extremam paupertatem, quam paſſus eſt, ne nos eſſemus fures, et in furti iniurijs patientes eſſemus. *Milites ergo quatuor cum crucifixiſſent eum, acceperunt veſtimenta eius (& fecerunt quatuor partes vnicuique militi partem)& tunicam.* Videntur autem veſtimenta fuiſſe ſuperiora ex hiſtoria lotionis pedum, item ex illo
Lucæ 6. Lucæ: Ab eo qui aufert veſtimētum,etiam tunicam noli prohibere. Lib.1. de ſermone domini in monte dicit Auguſt.omnem tunicam eſſe veſtimentum,non contra. *Erat autem tunica* (ſcilicet interior) *inconſutilis deſuper* à ſummo *contexta.* Vnica textura *per totum. Dixerunt ergo ad inuicem: Non ſcindamus eam*, quia non eſſet nobis inde aliqua vtilitas,*ſed ſortiamur de illa cuius ſit,*
Pſal.21. *vt ſcriptura impleretur,dicens: Partiti ſunt ſibi veſtimenta mea, & ſuper veſtem meam miſe-*

miſerunt ſortem. Habent hic aleatores patronos ſuos. Et ſi extrema Chriſti veſtimenta ſunt ſciſſa in quatuor partes,non tamen interna tunica, quia etſi Eccleſia adhærens Chriſto tãquam veſtis per quatuor angulos terræ locis ſit diſtincta, in fide tamen interiori, & charitate vna eſt. Auguſt. in hunc locũ Ioan.

Scripſit autem & titulum Pilatus,in quo ſcilicet ad poſterorũ memoriam ſcriptum erat,quis eſſet ibi crucifixus,& poſuit ſuper crucem: *Hic eſt Ieſus Nazarenus Rex Iudæorum. Et erat ſcriptum Hebraicè, Græcè, & Latinè. Hunc ergo titulum multi Iudæorum* diuerſis temporibus *legerunt,quia prope ciuitatem erat locus vbi crucifixus eſt Ieſus*,& ita multi trãſierunt per locum illum: & manſit titulus Domini etiam depoſito Chriſto.Scripſit autem iſtam cauſam Pilatus,ne putaretur,ſicut Iudæi cupiebãt credi, quod tanquam princeps latronum erat necatus, item vt per iocum diceretur: Iam obedient Iudæi Romanis:nõ enim amplius expectant aliquem regem,cuius fiducia rebellent: Nam Regem ſuum crucifixerunt. Aut potius quia Pilatus putauit eum eſſe Regem Iudæorum nõ terrenum,ſed vt ipſe arbitrabatur, ſecũdum eorum religionem.

Deus autem direxit Pilatum vt ſic ſcriberet,quia reuera in Chriſto nulla erat cauſa mortis, niſi vt ipſe ſuper veros Iudæos regnaret, veri autem Iudæi ſunt in omnibus mundi partibus. Vt igitur omnium gẽtium & linguarum Chriſtus Rex agnoſceretur, tribus præcipuis linguis titulus ſcriptus eſt. Et fortaſsis etſi tunc eſſent plures linguæ, non erant tamen niſi characteres harum linguarum trium. & his linguis deſignabatur ſpecialiter Rex Chriſtus laudandus. In Hebræa enim ſanctitas,in Græca ſapientia, in Latina rerum dominium deſignabatur, quorum omnium Rex eſt Chriſtus. Teſtabatur & titulus perpetuò Iudæorũ crimen. *Pontifices autem Iudæorum*, acri turbati inuidia, & quia agitabantur à propria conſcientia, metuẽtes ne ipſe eſſet verus Meſſias, ſicut ſciebant ſatis ſcripturam ſonare, & plurima argumẽta ex verbis & factis eius pro hac re habebant, etſi ex malitia contrarium crederent,accedunt ad Pilatum,& *dicũt: Noli ſcribere Rex Iudæorum,ſed quia ipſe dixit, Rex ſum Iudæorum.* O miſeri cur metuitis ne homines credant crucifixum eſſe Meſsiam, niſi quia vobis conſcij eſtis, quòd quæ prophetæ prædixerũt de Meſsia,

in hunc competunt? Tunc completum eſt quod ait Chriſtus: Non ſupergaudeant qui aduerſantur mihi inique, qui oderunt me gratis. Non minus enim agitati ſunt timore, Chriſto mortuo, ne crederetur Meſsias, quàm viuo. Imò multo plus, præcipuè Pontifices & Phariſæi; ſcripturas vtcunque intelligentes, vnde & hi petiuerunt à Pilato cuſtodiam ſepulchri. *Pilatus* autem *reſpondit*, *Quod ſcripſi, ſcripſi*, hoc eſt, manebit ſcriptum. quod ſignificat ſtabilitatē regni Chriſti, etiam ſi nolint Iudæi. Non putetur autem ſuperſtitiosè in prolatione huius tituli aliquid eſſe plus virtutis, quàm in verbis alijs, quibus fidem de Chriſto exprimimus, aut quam in iſtis verbis: Ieſu miſerere noſtri, & ſimilibus. Pſal. 34.

Et ſedentes Centurio & milites *ſeruabant eum*, donec eſſet completa executio iuſtitiæ, & mortuus eſſet. Quāuis iam Chriſtus crucifixus eſſet, non tamen requieuit furor, ſed varijs blaſphemijs, lingua percuſſerunt eum, quæ ingenuo Chriſti cordi admodum graues fuerūt. Vnde toties in Pſal. de his conqueritur: Ego (ait) ſum vermis, & non homo, opprobrium hominum & abiectio plebis. Omnes videntes me, deriſe- Pſal 21. Pſal. 69

runt

runt me,etc.locuti ſunt labijs & mouerunt caput,& zelus domus tuæ comedit me, & improperia improperantium tibi ceciderunt ſuper me: hoc eſt, quamuis ex nimio populi Dei amore abſumerer in cruce, nihilominus ſuſtinui adhuc maxima improperia eorum, ſcilicet hominum; qui Deo maledicere audēt:& operui in ieiunijs animam meam, & factum eſt in opprobrium mihi.Poſui veſtimētum meum cilicium, & factus ſum illis in parabolā;quòd ego verbo & opere pœnitentiam prædicaui, verterūt mihi in deriſum. Aduerſum me loquebantur qui ſedebant in porta. Iudices(ait)qui debuiſſent me defendere,irridebant me, & in me pſallebant qui bibebant vinum, & factus ſum deriſio conuiuiorum, & potorum.Ego factus ſum opprobrium illis, viderunt me & mouerunt capita ſua. Et rurſum:Quem tu percuſsiſti perſecuti ſunt, & ſuper dolorem vulnerum meorum addiderunt. Appone iniquitatem ſuper iniquitatem eorū. Cum eſſem maximè afflictus & vulneratus non pepercerunt mihi, ſed lin-
Pſal.139. gua percuſſerunt. Et alibi: Lingua eorum gladius acutus, & venenū aſpidum ſub labijs eorū. Sed videamus ipſas blaſphemias.

Præ-

Prætereuntes autem blaſphemabãt eum. E vili plebecula, prætereuntes blaſphemabant Chriſtum, *mouentes capita ſua, & dicentes: Vah*, vah, ſi, ſi, *qui deſtruis templum Dei, & in tribus diebus reædificas, Saluum teipſum fac, deſcendens de cruce, ſi filius Dei es*. Diſſeminarũt enim falſi teſtes ſuũ teſtimonium. De hoc dicit Pſalmus: Dicunt mihi, euge, euge, quod vertit Hieronymus, vah, vah. Sed potius ſcriptura per hoc quod prætereuntes blaſphemabant, deſignat eos qui aderant præteriiſſe crucem, & vt Chriſtus bene audire poſſet, veniſſe ante crucẽ viciſsim, & ſic improperaſſe ei perfectè audiẽti blaſphemias. Hæc omnia paſſus eſt Chriſtus, vt diſcerent Chriſtiani ſemper compati miſeris, & conſolari eos, & vt ipſe nos in extremis conſolaretur. *Similiter &* Romani *milites illuſerunt ei, dicentes: Si tu es Rex Iudæorum, ſaluum te fac. Similiter & Principes Sacerdotum illudentes ad alterutrum cum Scribis, & Senioribus, dicebant.* Summi Sacerdotes, & Scribæ, Senatores, & Phariſæi, longè vulgo peiores non aliquam ſpeciem peccati, ſicut vulgus improperauit ei, ſed et opera Spiritus ſancti peruertunt, dicentes: *Alios ſaluos fecit, ſeipſum non poteſt ſal-*

Pſal. 34.

teſt ſaluum facere. O ſcelerati, ſi alios ſaluos fecit, multò magis ſeipſum poteſt ſaluum facere. Sed ſcio quid velitis: Ipſi Beelzebub opera Spiritus ſancti aſſcribere vultis. *Si Rex Iſraël eſt, deſcendat de cruce nunc, & credemus ei.* Mentiuntur, nam plus eſt à mortuis reſurgere et mundum conuertere, quam de cruce deſcendere: et tamen reſurgenti, et in omnibus gentibus regnãti, non crediderunt. Quanquam hoc dicant non propoſito credendi, ſed ridendi, tamen admodum doluiſſent, ſi de cruce deſcẽdiſſet, et putabãt ſe firmiter cõcludere eum Chriſtum non eſſe, et miracula per Beelzebub feciſſe, quia non deſcendebat, ſicut dicunt Sapient. 2. Si vere Dei filius eſt, ſuſcipiet illum, & liberabit eum de manu contrariorum. Sed ne deſcendas domine de cruce, vt & nobis perſeuerantiam largiaris. Libet omiſsis Senioribus populi, Sacerdotes, & Scribas agitare. Quis ô Scribæ propheta, quæ ſacra doctrina, vel Pſalmus, quæ ô Sacerdotes legis cæremonia, quæ ſacramenta docuerunt quod illum filium Dei credere deberetis, qui ſe crucifigi non ſineret, aut
Pſal. 21. qui de cruce deſcenderet? Aliud prædica-
Eſaiæ 53. Zacha. 13. uit Dauid, aliud Eſaias & Zacharias, aliud hoſtiæ

hoſtiæ pro peccato, aliud Paſchalis obſeruantia nos docuit. Ideò enim filium Dei agnoſcimus, quia crucifixus eſt, quia in cruce mortuus eſt. Non ſcandalizamur in cruce, ſicut vos, quia pro nobis orauit Chriſtus, dicens: Non erubeſcant in me, qui expectāt te domine, domine virtutum. Non confundantur ſuper me, qui quærunt te Deus Iſraël. Pergunt blaſphemare: *Confidit in Deo, liberet nunc eum ſi vult, dixit enim, quia filius Dei ſum.* Imponunt ei ſummam ſuperbiam, quod diuinitatem ſibi falsò arrogaſſet. Meritò maximè ſuperbus reputatus eſt, ſummè humilis, & ſummus, quia ſuperbiam eradicare volebat. Hæc blaſphemia tāquam omnium ſumma, etiam nominatim à Dauide prædicta eſt: Sperauit in domino, eripiat eum, ſaluum faciat eum, quoniā vult eum. Cum enim homo eſt ab omnibus deſertus, & appropinquat morti, vndique afflictus, & nemo poteſt ei ſuccurrere, hoc adhuc habet reſidui, vt ſpem ſuam in omnipotentis Dei miſericordia collocet. Hoc ipſi ſceleratiſsimi quantum in ipſis fuit, abſtulerūt à Chriſto, tanquam dicentes: Stultiſsimè agis, ſi in Deo confidis, nulla tibi apud Deū ſpes eſt. Vnde in alio Pſalm. dicit: Multi dicunt

Pſal. 68. Pſal. 21. Pſal. 3.

cunt animæ meæ, non eſt ſalus ipſi in Deo eius. Hanc illuſionem Chriſtus pati voluit, vt nos in extremo vitæ ſperemus in Deo, & tunc non ſuperemur per tale improperium, ab immundo ſpiritu. Et Sapien. 2. hæc calumnia prophetata eſt: Erit ei reſpectus ex ſermonibus eius.

Erat autem hora ferè ſexta. Hora 6. pependit Chriſtus in cruce, & vixit tribus horis, vſque ad horam nonam, ſcilicet tertiam à prandio, iuxta cõputum noſtrum. Et quando ipſe Dominus maximè infirmatus eſt corpore, tunc nobiliſsimum omnium corporum ſol, operãte Chriſti diuinitate quodammodo luxit, & infirmatus eſt cum authore ſuo. *Et obſcuratus eſt Sol, & tenebræ factæ ſunt per vniuerſam terram vſq; in horam nonam*, per tres illas horas quibus author ſolis in cruce pendebat. Hoc autem miraculum in cœleſti corpore maius eſt,
Ioſue 10. quam quod tempore Ioſue in Sole contigit, quando integro die quieuit. Item ma-
4. Reg. 20. ius quam tempore Ezechiæ quandò retroceſsit. Non eſt enim tunc mutatus Sol niſi quo ad motum. At nunc radij eius ſunt retracti, & lucem non emittẽdo quodammodo interna & naturali qualitate eſt immutatus.

tatus. Sed nihil mirum quod ſigno de cœlo non ſint mutati ad fidem, quia fides gratia eſt. Et in ipſis tenebris, tenebroſi homines auſi ſunt etiam blaſphemare.

Sed nunc conſideremus ipſa Dominica verba. *Ieſus autem dicebat: Pater dimitte illis, non enim ſciūt quid faciunt*. Sciēs Chriſtus ſe iam agere ſacerdotem in altari crucis, ſciénſq; ſceleratis hominibus imminere æternam patris ſui damnationē orauit pro ſceleratiſsimis ſe crucifigētibus & blaſphemantibus, in typum omnium, qui ſunt adhuc in ſceleribus ſuis, & tamē Deo donante ad veniā ſunt peruenturi, & ait (vt oſtenderet Eſaiam de ſe locutum, dum pro tranſgreſſoribus orauit: Pater fac eos qui me Eſa 53. crucifigunt & blaſphemant pœnitentes, & ignoſce eis. hoc peto, vt tu tua ſingulari admodum gratia facias, quia neſciunt quid faciūt, vel decepti ruditate, vel quia eouſq; excæcauit eos malitia, vt neſciant quòd filium Dei occidant, vel malè faciāt, imò putant ſe bene facere, & locum ſuum, & gentem ſuam hoc modo contra hoſtes tueri. Hæc enim oratio etiam effuſa eſt pro eis, qui cognouiſſent Ieſum eſſe Chriſtum, niſi malitia excæcaſſet eos. Vnde vigore huius oratio-

orationis, etiã aliqui de peſsimis ſunt conuerſi. Non ergo Chriſtus eorum peccatum extenuans, hoc dicit, (neſciunt quid faciũt) ſed deſperatos eſſe oſtendens, niſi diuina gratia ſuccurrat, quia nec notitiam quidem
1.Tim.1. peccati habent. Sicut & Paulus deſperatiſſimum ſe fuiſſe docet, quia eò venerat cæcitatis, vt putaret ſe obſequium præſtare Deo, volendo nomen Chriſti delere. et propter hoc, vt Dei miſericordia in eo magis eluceret, dicit ſe miſericordiam conſecutum. Sic Auguſt. ſermone 8. et 9. de verbis Apoſtoli, et Leo ſerm. 15. de paſs. domini. Certè hoc loco multum dormitat commentarius Bedæ. O ſuauiſsimum Chriſti pectus erga tales hoſtes! Quis nõ timebit te ô Rex Gentium? Imò quis non ſperabit in te, et amabit ſic amantem? Si pro crucifigentibus te exoraſti, quid facies pro inuocantibus nomen tuum, et quærentibus ſeruire tibi? An pijſsime Pater pro hoſtibus tuis talia paſſus, & talia orans, reijciens inuocantes te, & cupientibus ſpiritum tuum, vt te ſemper laudent, ſpiritum tuum negabis? Non negabis, ſed eum copioſa miſericordia effundes in illos. Si enim cum ini-
Rom.5. mici eſſemus, reconciliati ſumus Deo per mor-

mortem filij eius, multo magis reconciliati ſalui erimus in vita illius. Sed & hic magiſter eſt eius (quod ante omnia curandũ eſt) vt videlicet ante omnia inimicos diligamus, & peccãtibus in nos ignoſcamus: Sanè nondum ab aliquo iniquè crucifixi ſumus, tales blaſphemias non ſuſtinuimus. Certum eſt ſi nec rogati veniam iniuriantibus nobis largiamur, non poſſe Chriſti dilectoris inimicorum ſuorum nos fieri participes. Imitemur igitur Chriſtum, & eum in hac re audiamus, qui tãta pro nobis pertulit, vt ſincero corde ignoſcamus omnes iniurias nobis factas.

Vnus autem de his qui pendebat latronibus, blaſphemabat eum, dicens: Si tu es Chriſtus ſaluum fac teipſum & nos. Non orãdo, ſed ridendo hoc dicebat, in quo fuit maxima Chriſti afflictio, & maximus cõtẽptus, quod peſsimus homo & miſerrimus, in eodem malo cum eo cõſtitutus, qui totus occupatus erat ſuis pœnis, adhuc delectabatur maledicere Chriſto cum alijs impijs. O quò deſcendit propter nos Deus! Nunc, inquit, derident me iuniores tempore, quorum non dignabar patres ponere cum canibus gregis mei. At Chriſtus poterat di- Iob.30.

cere : Nunc deridet me latro in cruce moriens,tãquam vita indignus.Sed in iſtis malis Chriſtus conſtitutus non ſolum in ſole poteſtatem ſuæ diuinitatis oſtẽdit, ſed maximè in eo quod inimici eius ad ignominiã eius ordinauerant. Conabantur enim per latrones obſcurare gloriam Chriſti,& hinc maximè procurata eſt gloria eius.Oſtendit enim hic Chriſtus virtutẽ crucis ſuæ, dum
Ioan 12. incipiens iã ad ſeipſum trahere omnia,conuertit vnum latronem, & dedit ei fidem,& promiſit paradiſum, in quo maior fuit gloria, quam in concuſsione petrarum, et obſcuratione ſolis.et ex eo opere,vſque ad finem ſeculi, grauati ſceleribus concurrunt ad Chriſtum, ſicut grauati ære alieno con-
1.Reg.22. currebant ad Dauid, contemptum à Saul. Operatione igitur crucifixi, conuerſus ad veram pœnitentiã latro,increpabat ſocium ſuum,dicens : *Neque tu* iam quidem *times Deum, quod* (vel qui) *in eadem damnatione es*,eodémque crucis ſupplicio conſtitutus? Videtur tollerabile quòd illi qui adhuc reputant ſe diu victuros,innocentẽ inſectentur:at te decebat timere Deum,vtpote ſtatim iam moriturũ, & Dei iudicio præſentandum. Hoc opus erat miſericordiæ increpa-

crepare ſceleratum & hortari ad Deum timendum; & confitetur deinde ſcelera ſua: *Et nos quidem* (inquit) *iuſtè* cruces patimur, vtpote qui homines occidimus, & ideò *digna factis recipimus: Hic verò* Ieſus *nihil mali geſſit*, quantumuis imponant ei multa crimina. *Et dicebat ad Ieſum: Memento mei Domine, dum veneris in regnum tuum* Sed quis ô latro, qui ſoles in deſertis & homicidijs verſari & omni nequitia, quis (inquam) te docuit hunc Ieſum eſſe innocentem, quem tam nocentem dicũt omnes principes Hieruſalem? Quis te docuit eum eſſe Dominum & Regem, qui poſsit poſt hanc vitam tui meminiſſe, qui tanta ſcelera perpetraſti? Quis te docuit poſt hãc vitam aliquid ſupereſſe? Quis te docuit ſpem tam ſceleratis ibi eſſe, & hoc per Ieſum, quem tibi regem futurum cõmemoras? Cur huic ſeipſum nõ iuuanti, ſupplicas vt tui meminerit? An aliquid cum latro eſſes obſeruaſti vt ad iſtud poſteà peruenires? Reſpondeat latro & dicat: Me potiſsimum ſpiritus Ieſu maxima gratia illuſtrauit, oſtẽdit mihi ſcelera mea, & damnationem, quam etiam in futuro ſeculo pro illis expectare debebam: terruit me & cor concuſsit, ita vt omnia

ſcelera quæ quondam mihi placebāt, diſpliceant, dixitq; mihi ſpem veniæ eſſe in iſto, qui non pro ſuis, ſed pro ſceleribus meis, & aliorum mecum crucifixus eſſet, & dixit mihi hunc Regem eſſe et dominum, qui futuri ſeculi omnem damnationem, etiam à me per crucem eſſet paratus auertere, donauit mihi hæc omnia, donauit vt orare au derem, et dicere: Memento mei domine, dum veneris ex iſta miſeria in regnū tuum. Gratia Ieſu Chriſti crucifixi hæc omnia ha bui ego, dignus omnibus ſupplicijs, vtpote qui nihil ante obſeruaui quod Dominus reſpiceret, niſi ad malum. Ieſus iterum memor ſacerdotalis officij ſui, non ſolum pro non pœnitentibus orauit, ſed etiam pœnitentem conſolatus eſt, & abſoluit, & multò plus quam poſtulauit, promiſit. *Et dixit illi Ieſus: Amen dico tibi, Hodie mecum eris in paradiſo:* Statim à morte mecum eris in perfecta felicitate, qualis erat Adæ in paradiſo præparata, vbi oſtendit ſe eundem eſſe qui Adæ paradiſum donauerat et peccantem inde expulerat, dum nunc peccatorem eo reducit, ſicut peccatori fidem maiorē quam tunc habebant Apoſtoli, dedit, ita etiam ad æternam felicitatem perduxit. Etſi enim

anima

anima latronis cum anima Chriſti deſcenderit ad inferos, in viſione tamen diuinitatis Chriſti paradiſum habebat. Quis deſperet? Latro in extremis pœnitens ſuſceptus eſt. Ideò hoc fecit Chriſtus, vt nunquam quantumcunque peccauerimus, nec in extremo quidem vitę deſperemus, ſed & tunc ad crucifixum cum vera pœnitentia conuertamur, non dubitãtes & tunc nos ſuſcipiendos in gratiam. Sed vnum tantum eſt exemplum in ſcriptura eius qui in extremis pœnitens ſuſceptus eſt. Neque certum eſt latronem non fuiſſe conuerſum antequam crucifigeretur. Plurima ſunt autem exẽpla pœnitentium cum ſani eſſent, & receptorum in gratiam, vt Dauidis, Manaſsis, Matthæi, Zachæi, Magdalenæ, Publicani, Pauli, Petri, etc. vt ſcilicet non differamus conuerti ad dominum de die in diem, quia ſæpiſsimè cõtingit, & ferè ſemper, vt qui dum ſanus eſſet, Dei gratiam in vacuum recepit, dum eſt in periculo mortis non agat pœnitentiam veram. Percutitur, ait Auguſtinus in ſermone de Innocẽtibus, hac animaduerſione peccator, vt qui dum viueret, oblitus eſt Dei, moriens obliuiſcatur ſui. Intelligite hæc (ait Pſalmus) qui obliuiſci- Serm. 3.

 mini

Pſal.49. mini Deum, ne quãdo rapiat,& non ſit qui eripiat.ô domine Ieſu Chriſte qui in cruce poſitus latronem ad fidem & pœnitentiam traxiſti tam dulciter, & ei paradiſum donaſti, precamur vt nunc regnans in regno tuo, ad dexteram Patris nos ita dirigere digneris,dum ſani ſumus,vt et iã,et in hora mortis, cum vera pœnitentia ad te crucifixum confugiamus, et audiamus à te:Mecum eris in paradiſo.

Stabat autem iuxta crucem Ieſu, fide firma, mirabili conſtantia corde & corpore, nobilis virago Maria *mater Ieſu*, transfexa quidem gladio doloris ex paſsione tanti filij, & improperijs inimicorum, quæ audie-
Lucæ 1. bat,Iuxta Prophetiam Iuſti Simeonis,nihil tamen impotentis animi oſtendens nec capillos lacerans,nec in terram decidens,fide redemptionis, & reſurrectionis, & conſcientia conceptionis,et natiuitatis huius filij fulta. Auſa eſt intueri morientem et crucifixum filium et ſtare in medio hoſtium iuxta crucẽ. Forte omnes noti atque mulieres à longe ſteterunt,ſola Maria et Ioanne exceptis, Magdalena vero et Maria Cleophæ potuerunt intercurrere et internuntiæ eſſe. Ioannes certe non dicit Chriſtum vi-

ſtum vidiſſe alios ex amicis præter matrem et ſe. In ipſa iam operabatur crux Chriſti, ſicut et in latrone et in Petro operari incipiebat. Sic crux Ioannem fidentem fecit, et Mariam Magdalenā, et Mariam Cleophæ matris Dei ſororem, vt conſtanter accederent crucem. Protegebantur autem verbo illo Chriſti, Sinite hos abire. et ſi poſt à lōgè ſteterint cum reliquis notis, tamen iam ita propinqui erant, vt eum exaudire poſſent. Chriſtus igitur cùm certo ordine, vt par erat, ſacerdotio in eorum qui magis indigebant cura functus eſſet, curam etiam Matris tanquam bonus filius geſsit, *Et ait illi: Mulier* (Ciſſa) ſiue virago, de mé viro ſumpta, ſecundum ſpiritum pietatis. *Ecce,* pro me, qui tui curā ſicut bonus filius geſsi, Ioannes erit *filius tuus. Et deinde dixit diſcipulo, Ecce mater tua*. Felix Ioannes qui locum Chriſti ſuppleuit, in tam nobili matre cuſtodienda. At dura commutatio Mariæ, pro filio creatoris habere filium peccatoris, pro iuſto, peccatorem: grata tamen matri hæc commutatio, quia voluntas erat filij. Myſticè autem Chriſtus cōſtituit matrem ſuam, matrem omnium habentiū gratiam Dei, omnium diſcipulorum Chriſti,

Ioan. 18.

omnium habentium integritatẽ fidei; quorum typum Ioannes tenebat. Sicut enim Eua ſub arbore ſcientiæ boni & mali facta eſt mater omnium peccatorum, ita Maria ſub arbore ſtultitæ omniũ Chriſtianorum, ita vt in ea inſtituerit Chriſtus ſecundum genus intercedentium pro nobis. Ipſe enim ſolus perfectus eſt mediator, & interceſſor primo genere interceſsionis, propter quem pater ita placatur, vt nulli alteri inniti debeat. Sanè Ioannes ex illa hora deuotus impleuit voluntatem Chriſti, & accepit Mariam, geſsitq; curam eius, & omnia ſua quæ in communitate Apoſtolorum communia habebat, & ſuam curam & tutelam contulit Mariæ, vſque ad mortem eius.

Quartò denique loco de ſe locutus eſt Chriſtus, dicens circa horam nonam, voce magne: *Deus meus, Deus meus, vt quid dereliquiſti me.* Qua voce docet Pſalmum 21. de ſe dictum, qui totus iam in eo complebatur, & eſt ſenſus: Deus meus, quem ego præ cæteris colo, quare non ſubuenis mihi in omnibus tribulationibus & improperijs meis & morte iam ventura? quare non liberas me, vel ſaltem conſolaris interius? Sicut enim patet in ſequentibus verſibus

Pſalmi:

Pſalmi, Ipſemet ſe non conſolabatur, nec exterius liberando, nec interius conſolando: quomodo martyres & ſancti patres veteris teſtamenti liberati fuerunt & conſolati, per redundantiam rationis in partem inferiorem. Quo ad liberationē eorum dicit: Ad te clamauerunt, & ſalui facti ſunt, quo ad conſolationem: In te ſperauerunt, & non ſunt confuſi, ſcilicet etiam Eſaias, Vrias, Hieremias, & Zacharias occiſi. Et prolata eſt hæc querela à Chriſto ex parte naturalis volūtatis, dolentis de tot malis, & correſpōdet orationi illi: Transfer calicem iſtum à me, in qua non fuit exauditus. Ex quo etiam colligimus triſtitiam illam duraſſe vſque ad mortem, quaſi diceret iam Chriſtus; Cur nō exaudis me orantem pro trāſitu calicis iſtius? Interrogat autem cauſam derelictionis ſuæ voce magna, non impatiens, nec murmurās in ſuam ipſius (quæ ſemper in eo māſit) diuinitatem, ſed vt omnibus indicet, ſe non fuiſſe huius derelictionis cauſam, ſed in nobis quorum peccata ſic debebat abluere, ſicut conſequenter declarat Pſalmus: Longè à ſalute mea, ſcilicet fecerūt me, verba delictorum meorum, quæ ſcilicet voluntaria aſſumptione

mea

mea feci. Sic interpretatur Auguſt. epiſtola 120. cap. 6. & Leo ſermone 16. & 17. de paſſione domini, vt ſcilicet dictiũcula (quare) ſit quærentis cauſam. Cyrillus lib. ad reginas de recta fide intelligit voculam (quare) eſſe rogantis & ingemiſcẽtis, ſicut & Exodi 32. Quare domine iraſceris populo tuo.
Pſal 3. Et in Pſal. Domine quid multiplicati ſunt
Pſal. 72. qui tribulant me? Vt quid Deus repuliſti in finem; & Eſa. 63. Quare domine errare feciſti nos? Vbi pro (quare) rectè ponas (heu). Sic igitur ſenſus eſt: Deus tu me reliquiſti in omni miſeria, nũc derelinquis in morte, non eripiendo me, nec cõſolando. Heu domine ne amplius derelinquas me. Cui ſatis cõſonat quod in Pſal. 21. dicitur: Ne diſceſſeris à me. Eſt igitur iuxta Cyrillũ hæc vox (vt quid dereliquiſti me) ſoluẽtis manifeſtè derelictionem, quę nobis acciderat, & quaſi placantis in hoc Patrem, & vocantis ad beneuolentiam erga nos tanquam erga ſeipſum & primum. Ipſe enim vnus derelicto-
Hebr. 2. rum fuit, ſecundum quod & ipſe participauit carni & ſanguini, vt & (quare) cauſam quærat, & ſit ingemiſcentis & orantis finiri derelictionem. Vterque ſenſus bonus eſt, & eſt veriſimiliter in Pſalmo. Ipſe igitur derelictus

relictus eſt ſine cõſolatione & liberatione, vt nos non derelinquamur, qui digni eramus deſeri à Deo, vt nõ intraremus in eam tentationem, qua priores à Deo diſcederemus, et ne putemus magnum eſſe malum, ſi in temporalibus non exaudiamur à Deo. Dicamus igitur ei qui propter nos derelictus eſt. Adiutor noſter eſto, ne derelinquas nos domine Deus noſter, ne diſcedas à nobis. Intẽde in adiutorium noſtrum domine Deus ſalutis noſtræ. Et: Tu in nobis es domine, et nomen tuum inuocatum eſt ſuper nos, ne derelinquas nos. Quia autem hæc verba dixerat lingua Hebraica, ſiue Syriaca (Eli, Eli, lamaſabathani), *Quidam autem* non intelligentes, deridendo *dixerunt: Eliam vocat iſte*; reſpicientes ad nomen Heli.

Pſal 26.

Pſal. 69.

Poſtea ſciens Ieſus quia omnia iam conſummata erant, quod vellet ſtatim mori, *vt conſummaretur ſcriptura*, dicens: Et in ſiti mea potauerunt me aceto, & oſtenderet Pſalm. 68. de ſe ſcriptũ. Et illud: Aruit tanquam teſta virtus mea, & lingua mea adhæſit faucibus meis, *dixit: Sitio*. Verè ſitiebat, qui tãtum ſanguinem effuderat, & tantum laborem ſubierat. Sed quid eſt quòd non

conque-

cõqueritur de clauis,& alijs innumeris tormentis expreſſe, niſi quia per hãc ſitim deſignat ardentiſsimam ſitim ſalutis noſtræ? Beati qui ſeria vitæ ſuæ cõuerſione dominũ potant. Ipſius cibus, ipſius potus eſt, noſtra bona vita. Nihilominus & hic ebrioſorum peccata ferebat, qui ebrij adhuc ſitiunt. Vtinam per hanc ſitim dignetur nobis largiri Chriſtianam ſobrietatem, & à nobis Gentilium ebrietatem repellere. *Vas autem erat poſitum aceto plenum. Illi autem ſpongiam hyſopo circumponentes, obtulerunt ori eius, &* præcipuè *vnus ex eis dicens: Sinite* me ipſum potare: *Videamus an veniat Helias ad deponendum eum. Cæteri verò dicebant:* Non des illi potum, *Sine; Videamus an veniat Helias liberans eum.* Videntur milites acetum porrexiſſe, vt cito liberarentur à Chriſti cuſtodia. Accelerat enim mortem læſis & debilibus potus aceti. Item ſimul dixerunt: *Si tu es Iudæorum Rex, ſaluum te fac. Cum ergo accepiſſet Ieſus acetum, dixit: Conſummatum eſt,* ſcilicet totum quod de me ſcriptum eſt, id eſt, iam ſtatim conſummãdum. Vbi oſtendit ſe eſſe qui præſignatus eſt per omnes prophetas & cæremonias.

Ieſus

Ieſus autem iterum clamans voce magna, vt oſtenderet ſe non mori violente, ſic vt non poſſet ſe diutius in vita tenere, ſed voluntariè, adhuc robuſtum, ponere à ſe animam ſuam, ſeruauit enim robur ad extremum vſque: nos autem ſine voce, aut exili admodum voce morimur, propter debilitatē, *ait: Pater* mi naturalis. *In manus tuas commendo ſpiritum meum*, ſiue animam meam. Ibi etiam commendauit animas noſtras in manus miſericordiæ potentiæ pietatiſq; paternæ. Per Chriſti enim animam initium nobis factum eſt, vt morientium Chriſtianorum animæ ſuſcipiantur à Deo Patre, ad perpetuam requiem & Dei viſionem; ſicut noſtra peccata tulit in pœnis, ita in ſua anima commendata, noſtras cōmendauit. Et nos ô domine Ieſu Chriſte in manus tuas expāſas pro nobis in patibulo, cōmendamus ſpiritum noſtrū, nūc & in hora mortis noſtræ: tunc nos precamur ſuſcipias, memor iſtius paſsionis & mortis. *Et hæc dicens, inclinauit caput* (quod ante erectū ad Deum tenuerat ſicut cor ſuum) more morientium, vel potius, ſicut Chryſoſtomus ſentit, inclinatio capitis mortem ſequi ſolet, non præcedere: nam morientes

velut

velut contra mortem pugnaturi ſolent caput erigere. At Chriſtus contra, oſtēſurus ſe voluntariè mori, caput inclinauit, vt ſe oſtenderet omnium dominum. Et ſua volũtate *tradidit ſpiritum,* pœnam extremam hnius vitæ ſuſcipiens, vt nos à morte peccati,& corporis eriperet,& compleret illud
Oſeæ 13. Propheticum: Ero mors tua ô mors. Hæc
Ioſue 20. eſt mors ſummi ſacerdotis, per quam exu-
Num. 35. les,iuxta Moyſen,ad patriam reuertuntur. Hæc eſt mors,per quam victoria nobis da-
Hebre. 2. tur aduerſus peccatum & mortem. Per hāc mortem à timore mortis liberamur omnes. Hæc mors confirmat & opere complet no-
Ieremię 31 uum pactum Dei, quo promittit peccatores ad ſe cõuertere, dare leges ſuas in amorem cordis eorum,& ignoſcere cuncta peccata eorum, & dare ſui claram cognitio-
Ioan 10. nem. Per hāc mortem pius Paſtor mortuos omnibus modis quæſiuit & ſaluos atque viuos reddidit, ponēs animam ſuam pro ouibus ſuis. Mortuus eſt etiam in florida ætate, vt omnia nobis impenderet, vt nos ei
Pſal. 115. floridā ætatem dedicemus. Quid retribuam domino pro omnibus quæ retribuit mihi?
Matt. 3. Dixit Baptiſta: Domine ego debeo à te baptizari,& tu venis ad me? Dicamus & nos

ei: Domine nos mortem debuimus, & tu pro nobis moreris?Dixit Petrus: Domine tu mihi lauas pedes? Dicamus & nos:Domine tu noſtras ſordes viliſsimas, & noſtrã mortem aſſumis? Dixit & Elizabetha: Et vnde hoc mihi, vt veniat mater Domini mei ad me?Dicamus nos:Vnde hoc nobis, vt veniat dominus noſter ad nos in ſimilitudine carnis peccati, & moriatur pro nobis?Vnde niſi ex ſola miſericordia Dei Patris?Dicamus cum Iacob,Verè domine minores ſumus cunctis miſerationibus tuis & veritate tua, quam expleuiſti ſeruis tuis. Quid igitur retribuemus tibi domine? Offeremus Deo noſtro pro gratiarum actione hanc eandem hoſtiam & æqualem in ſacramento altaris, vbi verè eſt, et in altari cordis noſtri:orantes Deũ ſemper per ſummum ſacerdotem Chriſtum,et hãc paſsionem, vt cõcupiſcentiam noſtram dignetur mortificare, et reddere nos totos Deo ſacrificiũ, gratiáſq; agentes per eũdem ſacerdotẽ pro tãto munere, quod lõgè maius eſt quã ipſa prima creatio quã violauimus.Ipſe Chriſtus ſolus eſt condigua gratiarũ actio, ſi in eo inſerti maneamus,ſempérque à cœleſti agricola purgemur, vt fructus plus afferamus

Ioan. 13.

Lucæ 1.

Geneſ. 32.

feramus

ſeramus,non eſt metuendum ne ingratitudinis arguamur.

Sed proſequamur hiſtoriam. Sicut do-
Pſal.15. cet Pſal. Non derelinquens animam meam in inferno: et ipſe dicit filius hominis erit
Matt.12. in corde terræ tribus diebus. Statim Chriſtus ſecundum animam deſcendit ad inferos; eos qui purgati erant, ſtatim viſione diuinitatis ſuæ et animæ lætificans, manſitq; ibi triduo,et tunc eduxit animas inde.

Et ecce velum templi quod pẽdebat antẽ ſancta ſanctorum, *ſciſſum eſt in duas partes à ſummo vſque deorſum:* ad deſignandum carnem Chriſti deſignatam per velamen, iam ſcindi ab anima,vt ipſe primum intro-
Heb 9. eat cœlum ad interpellandum pro nobis. Deinde nos per eius carnẽ pro nobis mortuam tanquam per ſciſſum velamen introeamus in cœlum,tanquam in ſancta ſanctorum. Deinde quia velum iſtud ſignificabat nondum prolatam gratiam Chriſti,nõdum effulſiſſe modum euãgelicæ vitæ, & adhuc obſcuris figuris velari myſteria ſalutis,ideò ſciſsio facta in morte Chriſti, ſignificabat per Chriſti mortem reuelari gratiam eius, & omnia legis ſacramenta iam aboleri, & ſignificationem etiam eorum gẽtibus aperiri &

riri, et templum Iudaicum ab ipſo relinqui. Sicut in ſole ſignum fecerat, *ſic & terra mota eſt*, non in ſola Iudæa, ſed et in Bithynia, vt Phlegon narrat apud Euſebium in Chronicis. Vide apud eundem Lucianum lib. 9. hiſt. eccleſ. cap. 7. *& Petra ſciſſæ ſunt*, et ipſa rupes Golgothona: *& monumenta aperta ſunt, & multa corpora ſanctorum qui dormierunt, ſurrexerunt*. Quibus omnibus deſignatur Chriſtus eſſe cœli, terræ, elemẽtorum, & templi dominus, dominator inferni, & mortuorum dominus. Deſignatur etiam Chriſti morte terrenos, & lapideos peccatores conuerti, & ſcindi ad pœnitentiam. *Sancti autem exeuntes de monumentis poſt reſurrectionem eius, iuerunt in ſanctam ciuitatem, & apparuerunt multis: Centurio autem, & qui cum eo erat, viſo terræ motu; & his quæ fiebant., & quòd Chriſtus ſic exclamans expiraſſet*, ad ſignificandam conuerſionem gentiũ, trahente Chriſti paſsione *timuerunt valde*, tantum ſcelus, *& glorificauerunt Deum, dicentes: Verè hic iuſtus & filius Dei erat. Et omnis turba eorum, qui ſimul aderant ad ſpectaculum iſtud*, in quibus operabatur iam Chriſti mors & oratio, *percutientes pectora ſua*, in ſignum pœni-

tentiæ, domum *reuertebãtur. Erant autem ibi.* Manebãt adhuc ibi notæ mulieres, quæ ſolent Chriſto miniſtrare, Maria Magdalenæ, Maria Iacobi, & Ioſeph mater & ipſa Salome, mater filiorum Zebedæi, & aliæ quæ ſolent Chriſtũ ſequi in Galilæa, & miniſtrare ei de facultatibus ſuis, & iam cum eo aſcenderant Hieroſolymam, & omnes noti eius, Apoſtoli, & diſcipuli ſtabant à longè, contemplantes.

Iudæi ergo quoniã Paraſceue erat Paſchæ, *vt non remanerent in cruce corpora*, iuxta
Deut 21. legem quæ mandat, vt ante ſolis occaſum deponantur, maximè in *ſabbatho (erat enim magnus dies ſabbathi)* propter concurrentem in eo ſolennitatem Paſchalem, *rogauerunt Pilatum vt frangerentur eorum crura, & tollerentur* de cruce, vt etiam ſi viui deponerentur, ſtatim deponerentur. *Venerũt ergo milites, & primi quidem fregerunt crura, & alterius qui crucifixus eſt cum eo*, & depoſuerunt; vel iam mortuos, vel ſtatim moriẽtes. *Ad Ieſum autem cùm veniſſent, vt viderunt eum iam mortuum, non fregerunt eius crura, ſed vnus militum*, ſubdubitans an eſſet mortuus, adhuc mortuo ignominiam faciens, *lancea latus eius aperuit, &*

ſtatim exiuit ſanguis et aqua, miraculoſè, ex corpore mortui.

Et qui vidit, Ioannes, *teſtimonium perhibuit,* huius rei tam admirandæ, & plenæ myſterijs, vt nos crederemus, *& verum eſt teſtimonium eius. Facta ſunt enim hæc, vt ſcriptura, &c.* Hæc enim prædixit ſcriptura de agno Paſchali loquens, quòd os eius non eſſet confringendum vel comminuendum; quod propter Chriſtum dictum erat, cuius nullum os confractum eſt: per quod myſticè ſignatur, quod eius fortitudo diuiſa non eſt per omnes eius paſsiones, nec corpus eius myſticum poteſt vnquam eſſe diſcors, vel verè diuiſum. Vnde mirãdum, quòd audeant quidam indiſcretè figurare vulnera Chriſti, per figuras pedum, vel manuum & cordis aſciſſorum. Et alia ſcriptura: Videbunt in die iudicij quem lancea transfixerunt. Ioannes hæc diligentiſsimè inculcat, aſſerens ſe vidiſſe & ſe ſcire verũ eſſe, quòd ex latere mortui Chriſti exierit ſanguis & aqua: vt hæreticorum os obſtrueret, ſicut ait Chryſoſt. vt nos credamus id quod ipſe vidit. Tempore enim Ioannis, Simon Magus docebat Chriſtum putatum hominem, cum homo non eſſet, & putatum paſſum, Exodi 12.

cum paſſus non eſſet. Sicut Auguſt. in lib. de hæreſibus ad Quodvultdeũ, & Irenæus lib.1.cap.20.dicit: Saturninus ſimiliter exiſtimauit Chriſtum putatiuè viſum hominem, vt dicit Irenæus 22.cap.lib.1. Baſilides autem dixit Chriſtum non eſſe paſſum, ſed Simonem Cyreneum, eo quòd Chriſtus incorporalis eſſet, nec homo verè factus eſſet, vel carnem aſſumpſerit, licet apparuerit homo, vt Epiphanius & Irenæus lib.1. cap.23. narrant. Et Auguſt. Contra hos dicentes Chriſtum putatiuè apparuiſſe, & putatiuè hominem fuiſſe, & putatiuè crucifixum, agit & Ignatius epiſtola ad Trallianos, & ad Smirnenſes, vbi & locum Zachariæ citat, quem allegat Ioannes: Videbunt in quem transfixerunt. Item contra hos phantaſmaticos, agit in epiſt. ad Philadelphienſes. Contra hos igitur Ioannes, quia eo tempore quo euangelium ſcribebat, nomen Chriſti vendicabant ſibi, munit fideles, & dicit ſe vidiſſe, & certo ſcire quòd latus Chriſti lãcea apertum fuerit, nullúmq; os confractum fuerit in eo, & quod ex latere miraculosè manauerit ſanguis & aqua. ex quo manifeſtum eſt quod verè humanum corpus Chriſtus habuerit, quódq; nõ alius

cruci-

crucifixus fuerit nomine Ieſu. Mortuus enim ita miraculum fecit vulneratus, ſicut fecerat viuus. Et fortaſsè ideò Ioannes inculcat os eius non confractum, nec comminutum, etiam cum eſſet maximè opportunum crura eius confringi, vt confutaret ſtoliditatē Cerinthi, qui etſi dixerat prius Chriſtum reſurrexiſſe, poſtea tamen dixit eum non reſurrexiſſe, ſed reſurrecturum in extremo iudicio, ſicut Epiphanius narrat & Auguſt. & proinde oſſa eius confracta & diuulſa aliorum oſsium hominū more imaginabatur. Sic enim ſcriptura docet, os non comminuendum, ſicut carnem non putreſiendam. In his autem teſtimonijs quæ citat Ioannes hoc aduertendum, quod pendebāt ab alieno arbitrio, an crura Chriſti eſſent frangenda: Item an vellent eum non tranſfigere lancea: & non erat actus liberi arbitrij Chriſti. Ea ergo teſtimonia citat Ioannes, & non ea quæ prædicta erant de Chriſti patientia voluntaria; ne quis diceret Chriſtum tanquam ſcientem ſcripturas, ſimulaſſe in ſeipſo, quæ à Prophetis de alio prædicta erant, ſicut hæretici morientes ſæpè ſimulant martyris Stephani orationem & patientiam.

Hæc enim ſimulatio locum non habet in ijs quæ ab alijs infliguntur Chriſto vel alteri innocenti. Et hæc eſt ratio, cur ſi diligenter aduertas, in tota paſsione nullus Euangeliſtarum citat Prophetarũ vaticinia, niſi ea quæ ad Chriſti actionem voluntariam non pertinent, ſed citãt aliorum opera. Vt: Cum iniquis deputatus eſt. Percutiam paſtorem, & diſpergentur oues gregis: Acceperunt triginta argẽteos: Diuiſerunt veſtimenta mea: In ſiti mea potauerũt me aceto: Os non comminuetis ex eo: Videbunt in quem transfixerunt. Imò in Euangelio rarò citantur quæ ad Chriſti actionem ſpectant. vt: Ecce Rex tuus venit ſedens ſuper aſinum: Spiritus domini ſuper me, euangelizare pauperibus miſit. Et: Non erit triſtis neque turbulentus. Zelus domus tuæ comedit me, longè frequentius quæ ex alijs pendebãt. vt: Sede à dextris meis. Lapidem quem reprobauerunt ædificantes, etc. Ex ore infantium, etc. Sicut Moyſes exaltauit ſerpentem. Sicut Ionas fuit in ventre cœti, & omnia quæ circa Chriſti infantiã citantur. Sed cur Chriſtus adhuc voluit habere vulnus in latere? vt deſignaret nobis quod ex eo tanquam Adam in cruce dormiente

ſabricaretur Eccleſia tanquam vxor Chriſti. Sanguis enim deſignabat pretium, aqua verò mundationem: Sanguis euchariſtiam, aqua baptiſmum & mixturam poculi ſacramenti. Quibus ſacramẽtis ædificatur & nutritur eccleſia, ſub quibus & alia intelliguntur ſacramenta. Rurſus, vt oſtenderet ſe arcam eſſe, ſcilicet verum hominem ligno affixum, qui in latere deorſum habet oſtium, per quod intrare debent omnes à diluuio venturi iudicij ſaluandi. Vnde notanter ait Ioannes: Latus aperuit. Igitur non videtur fuiſſe vulnus in pectore: hoc enim non vocatur latus. ſed illic, vnde ex Adam coſta ſumpta eſt. Deinde quatuor vulnera quæ Chriſtus habuit viuus, ſignãt myſticè quatuor vulnera animæ noſtræ, malitiam, errorem, concupiſcentiam, infirmitatem. Et ſi mundo ſumus mortui, adhuc tamen radicale vulnus reſtat. Sancti adhuc habent vulnus ſuperbiæ, quod etiam Chriſti vulnere medicandum eſt. Et hoc quintum vulnus accepit Chriſtus, ad deſignandum medicinam, quæ eſt in quatuor vulneribus eius, deriuandam in alios, ſicut integritas Adæ per coſtam ſumptam ex latere, in alios erat deriuanda.

Cum autem ſero factum eſſet , quia erat Paraſceue quod eſt ante ſabbathum , quia iam erat ea pars Paraſceues, quæ immediatè præcedebat ſabbathum,quod incipiebat poſt Solis occaſum,*Venit quidam homo nobilis*,& conſularis,*& diues,vir bonus,& iuſtus,qui & ipſe erat diſcipulus Ieſu*,& hactenus *occultus,propter metum Iudæorum , nomine Ioſeph ab Arimathea , ciuitate Iudææ, qui non conſenſerat conſilio , nec actibus Iudæorum*:iámque operante & trahente morte domini , *Hic audacter introiuit ad Pilatum,petens ſibi donari corpus Ieſu* , vt illud videlicet ipſe poſſet ſepelire. *Pilatus autem mirabatur ſi iam obijſſet*,ſiue de veloci morte, ſiue quia putabat quod miraculosè ſe liberaturus fuiſſet : *& accerſito Centurione interrogauit ſi iam mortuus eſſet*. Quæ omnia à Deo diſpoſita ſunt, vt confirmaretur fides reſurrectionis , dum certum fuit eum verè eſſe mortuum . *Et cum cognouiſſet ex Centurione , donauit corpus Ioſeph . Ioſeph autem mercatus ſindonem mundam , depoſuit corpus Ieſu* de patibulo. *Venit autem & Nicodemus,qui venerat ad Ieſum nocte primum* . Acceſsit etiam tunc ante occultus diſcipulus Nicodemus , *ferens mixturam*

myrrhæ

myrrhæ & aloës, quaſi libras cẽtum. In quo etiam prouiſum fuit à Deo, vt intelligeretur corpus tam graue non facilè potuiſſe auferri è monumento. *Acceperunt ergo corpus Ieſu, & ligauerunt illud linteis cum aromatibus*, inuoluerunt corpus ſindonī mundæ & pretioſæ, & alia lintea appoſuerunt, & ſudarium ſuper caput eius, & benèolentia aromata, ſicut mos eſt Iudæis potentibus ſiue diuitibus *ſepeliri*, ſiue funus condiri.

Erat autem in loco prope locum *vbi crucifixus eſt* Chriſtus, *hortus*, pertinens ad Ioſeph, *& in horto nouum monumẽtũ* quod Ioſeph ſibi exciderat de petra vna, ita vt nemo poſſet ſubtus fodere, & in monumentum intrare; & *in quo nondũ quiſquam poſitus fuerat. Ibi ergo propter paraſceuem Iudæorum,* quia feſtinabant, ne violarent ſabbathum iam imminens, *poſuerunt eum. Erant autem ibi Maria Magdalena et altera Maria,* Iacobi ſcilicet & aliæ mulieres, videntes monumẽtum, & quomodo poſitum erat corpus Ieſus, vt ſcilicet poſtea poſſent hoc vngere, *& reuertentes* reuerſæ *parauerunt aromata, & vnguenta, & ſabbatho ſiluerunt* & quieuerunt *ſecundum mãdatum, nec ve-*

nec venerunt ad vngendum. *Et Ioſeph* per ſuos miniſtros *aduoluit lapidem magnum ad monumenti oſtium*, & ſic abierũt in Hieruſalem. Sicut autem anima Chriſti deſcendit ad inferos, ita corpus eam vilitatem ſubijt, vt cõderetur ſub terra in ſepulchro. Et ſic triduo manſit Chriſtus in morte, nihil tamen anima in inferno paſſa eſt, nec corpus in ſepulchro aliquam incinerationem, ſed ita ſubijt anima vilitatem inferni, vt ibi luceret dignitas animæ, & ita corpus vilitatem ſepulchri, vt eluceret dignitas corporis. Quia enim de virgine cõceptum, totum erat purum, & caſtum, ideo & in ſindone pretioſa, & in nouo ſepulchro non terreo, ſed petrino, & in bene olẽtibus aromatibus, per manus duorum honoratorum virorum, Ioſeph, & Nicodemi, ſepultũ eſt. Non debebat iam amplius viliter tractari, quia iam ſatisfactum erat pro peccatis humani generis. Quanto magis corpus Chriſti, quod iam Dei eſſe ſcitur, in altari linteis mundis, caſtis manibus, & bene olente loco, pro reuerentia tantæ maieſtatis tractari debet? Ex imitatione huius ſindonis Romanus Pontifex Silueſter, ſtatuit Euchariſtiam non niſi in lineo panniculo

mundo

mundo reponendam. *Altera autem die quæ eſt poſt Paraſceuen,&c.* Extrema autẽ parte diei ſextæ poſt ſolis occaſum, quæ erat altera dies, nempe prima pars ſabbathi, non quieuerunt Pontifices & Phariſæi, ſed conſcientia dictante, metuerunt ne Chriſtus reſurgeret: *Conuenerunt ad Pilatum, dicentes: Domine recordati ſumus, quia ſeductor ille adhuc viuens, dixit: poſt tres dies reſurgam. Iube ergo cuſtodiri ſepulchrũ vſq; in diem tertium: ne fortè veniant diſcipuli eius, & furentur eum, & dicant plebi: ſurrexit à mortuis, & erit nouiſſimus error peior priore. Dixit illis Pilatus: Habetis cuſtodiam.* Ponite cuſtodes quos vultis, *Ite, cuſtodite ſicut ſcitis*, ſi poſsit reſurgere, vos non curabit. *Illi autem abeuntes munierunt ſepulchrum, ſignantes lapidem cum cuſtodibus*, publico ſigillo munierunt lapidem, & ſuos, et Pilati adhibentes ſimul cuſtodes.

Notandum eſt omnes ſtatus hominum in Chriſti paſsionem conſpiraſſe, et eo ordine quo ſunt grauitates peccatorũ. In illis ſtatibus conſpirauerunt Chriſti diſcipulus Iudas, et alieni magis diſcipulis, viri plus mulieribus: Iudæi & fideles, plus gentibus: Nobiles et præfecti, plus ignobilibus et ſub-

iectis;

ictis; Sacerdotes plus laicis; Scribæ plus indoctis; Pharisæi plus comunibus; Senatores plus plebeis, adulti plus infantibus, qui tantum per parentes cooperati ſunt; ad deſignandum, quod omnes nos ſumus cauſa mortis Chriſti, & quãto peccata noſtra ſunt grauiora, tanto magis. imò Maria viſa ab eo, ſua compaſsione augebat eius dolorem: nam & eam redimebat.

IN HISTORIAM DOMI-
NICAE RESVRRECTIONIS,
EXPLICATIO.

Authore eodem.

P*Rima* die *Sabbathi*, ſiue ſabbathō (vt ſit ſit non dictio genitiui caſus in Græco, & pluralis numeri, ſed hebrça vox genitiui caſus, ſingularis numeri, indeclinabilis) hoc eſt hebdomadis, *valde mane, diluculo, cũ adhuc* nõnullę *eſſent tenebræ,* & adhuc duraret veſpera, hoc eſt, nox ſequens diem ſabbathum, ſiue ſeptimum, ita tamẽ vt nox inciperet iam accipere lucem, et orientem ſolem diei primæ hebdomadæ, *venerũt Maria Iacobi,* ipſa *Salome, Maria Magdalena,* & cæteræ *portantes aromata, quæ parauerant,* ſiue iam ſepulto domino veſpera Paraſceues, ſiue tranſacto ſabbatho poſt ſolis occaſum in die ſeptima, quando iam primus dies incipie-

incipiebat,in quo die operari poterant.

Et ecce autem ipſis euntibus, *terræ motus factus eſt magnus, Angelus enim domini deſcendit de cœlo,& accedens reuoluit lapidem,& ſedebat ſuper eum*, vt ſcilicet terreret cuſtodes. *Erat autẽ aſpectus eius vt fulgur,& veſtimenta eius vt nix,& præ timore angeli exterriti ſunt cuſtodes, & facti ſunt velut mortui:et* in via *dicebant* mulieres *ad inuicem: Quis reuoluet nobis lapidem ab oſtio monumenti? erat quippe valde magnus*,quem non poterant mulieres mouere, *& reſpicientes,viderũt reuolutum lapidem. Et ingreſſæ non inuenerunt corpus Domini* Ieſu.*Currit ergo* Maria Magdalenæ,& quæ cum ea erant,*et venit ad Simonem Petrum, & alium diſcipulum quem diligebat Ieſus*,ad Ioannem,*& dixerunt: Tulerunt dominum de monumẽto,et neſcimus vbi poſuerũt eum.*

Cum igitur abijſſent mulieres, *ecce quidam de cuſtodibus abierunt in ciuitatem, & nuntiauerunt Principibus Sacerdotũ omnia quæ facta fuerant*, ſcilicet terræ motum, deſcenſum angeli,reuolutionem lapidis, & ſeſsionem ſuper eum,aſpectũ angeli, ſuum terrorem & proſtrationem. Narrauerunt, inquit Auguſtinus omnia quæ facta fuerãt,

2 de cõſenſu euang. cap.24.

quæ

quæ ſcilicet ipſi ſentire potuerunt, & ſic primi nuntij regni Chriſti fiunt, qui illud impedire voluerunt, vt fratres Ioſeph. *Et congregati*, ſcilicet ſummi Sacerdotes, *tum ſenioribus conſilio accepto*, vt ſcilicet ab eo, quem iam reſurrexiſſe non dubitabant, plebem auerterent, *copioſam pecuniam dederunt militibus*, qui cuſtodierant, *dicẽtes: Dicite, quia diſcipuli eius nocte venerunt, et furati ſunt eum, nobis dormiẽtibus. Et ſi hoc auditum fuerit à Præſide, nos ſuadebimus ei, & ſecuros vos faciemus. At illi accepta pecunia, fecerunt ſicut erant edocti, & diuulgatum eſt verbum apud Iudæos vſque in hodiernum diem.* Verum vos milites ſi dormiuiſtis, quomodo ſciuiſtis diſcipulos furatos eſſe? quod ſi vidiſtis eos cum grauiſsimo corpore fugere, cur non eſtis eos inſecuti, & per iuſtitiã publicã corpus dilaniaſtis, & omnibus oſtẽdiſtis? Timidiſsimi hominum diſcipuli, non fuerunt auſi progredi, vel apertis ianuis in domo eſſe. Quomodo igitur furati ſunt eum de medio cuſtodum? Aut igitur Iudæi ſepultum reddant, aut reſurgentem nobiſcum adorent.

Exÿt ergo ad mulierum nũtium, *Petrus, & ille alius diſcipulus*, ſcilicet Ioannes, *& vene-*

venerunt ad monumentum. Currebāt autem duo ſimul, & ille alius diſcipulus præcucurrit citius Petro, & venit primus ad monumentum. Et cum ſe inclinaſſet, Ioãnes, *vidit poſita linteamina,* quibus ſcilicet corpus Ieſu inuolutum fuerat, *non tamen introiuit. Petrus autē ſequens eum*, poſt Ioannem veniens procubuit primum, & deinde *introiuit in monumentū, & vidit linteamina poſita ſola, et ſudarium quod fuerat ſuper caput eius, non cum linteaminibus poſitū, ſed ſeparatim inuolutū in vnum locum*. Quæ poſiſitio linteaminum & ſeparatio ſudarij deſignabat manifeſtè, furto non fuiſſe corpus ablatum. *Tunc ergo introiuit & ille diſcipulus,* Ioannes monumentum, *et vidit,* ea quæ Petrus viderat, *& credidit,* ſcilicet Magdalenam vera dixiſſe. *Nondū enim ſciebāt,* Petrus & Ioannes *ſcripturam*, ſolidiſsima ſacræ ſcripturæ teſtimonia, quibus prædicitur Chriſtus reſurrecturus in lege Moyſi, Pſalmis, & Prophetis. *Abierunt ergo diſcipuli,* Ioannes & Petrus *iterum ad ſemetipſos,* domum, *& mirabatur ſecū Petrus quod factum fuerat.*

Maria autē Magdalena, cū ſocijs mulieribus, *ſtabat ad monumentū foris plorans.* Et

conſter-

cõſternatæ erant mulieres de abſentia corporis. *Dum ergo fleret* Maria, *videt duos angelos ſedentes in albis, vnum ad caput, & vnum ad pedes, vbi poſitum erat corpus Ieſu,* & ambo erant à dextris Ieſu, ſedebántque veluti cuſtodes loci, tanquam & antea corpus cuſtodiſſent. Sicut enim narrat Beda in Marcum, & in lib. 5. hiſtoriæ Anglor. cap. 17. monumentum domini domus rotunda eſt, exciſa de vna rupe ſubiacente, tantæ altitudinis, vt homo intro conſiſtens, vix manu extenta culmen eius poſsit attingere. Hæc domũcula oſtiolũ habet ab Oriente, cui lapis ille magnus appoſitus eſt, & tam humilis eſt apertura, vt non niſi inclinando ſe & curuando poſsit homo intrare, in cuius monumenti parte Aquilonari ſepulchrũ ipſum, ſiue locus dominici corporis de eadem petra exciſus eſt, ſeptem habens pedes longitudinis, & trium menſura palmarum pauimẽto cætero altius eminet: qui locus nõ deſuper, ſed à latere Meridiano per totum patulus eſt, vnde corpus inferebatur. Angeli igitur ſedebant, ſicut dicit Marcus de vno, in dextris, ſiue ipſarum mulierum intrantium, & ſic ſedebant rectè iuxta ſepulchrum; ſiue, vt Beda intelligit, à

dextris Chriſti,quia nimirum corpus quod ſupinum iacēs caput habebat ad Occaſum, dextram habebat ad Auſtrum, & ſic angeli aſsidentes ſedebāt à dextris Chriſti. Secundum Bedam , ſepeliētes Chriſtum prius caput intulerunt per oſtiolum monumenti, pòſt pedes: deinde ſiniſtra Chriſti prius illata fuit in locum ſepulchri quam dextra. Sic etiam ſepeliūtur omnes Chriſtiani , capite ad Occidentem, pedibus ad Oriētem, dextra ad Meridiem. *Dicunt ei illi*, Dixerūt igitur angeli , aut vnus nomine duorum: *Mulier quare ploras?* Non eſt cauſa plorandi. *Nolite timere vos* , ſicut vidiſtis merito exanimes iacere cuſtodes antea. Reſpondit Magdalena,audacia ſumpta,& *dicit eis:* Habeo magnam cauſam plorandi, *quia tulerūt Dominum meū, & neſcio vbi poſuerunt eū*, vt poſsim eum vngere ; Fortaſſe cum reis, & latronibus proiecerunt cadauer eius tam nobile. *Dixerunt angeli ad illas : Quid*, ſiue quare *quæritis viuentē cū mortuis?* Iā viuit, non amplius eſt mortūus. Scimus quod piè *Ieſum Nazarenum crucifixum quæritis*, ſtudio ei ſeruiendi: & ideò nihil metuatis, nec fleatis, ſed conſolationem recipite. Re vera *ſurrexit* , *non eſt hic* amplius corpus eius ; audacter

audacter intrate,& *venite,& videte locum vbi poſitus erat dominus*. Et ſurgentes angeli & iam ſtantes ſecus ingreſſas,monſtrauerunt eis locum, & diſpoſitionem linteaminum,& ſudarij,dicentes: *Ecce locus, vbi poſuerunt eum. Recordamini qualiter locutus eſt vobis,cum adhuc in Galilæa eſſet, dicens,quia oportet filiũ hominis tradi in manus* hominum *peccatorũ,& crucifigi,& die tertia reſurgere. Et recordata ſunt verborũ domini*. Deponite igitur omnem luctum, omnem triſtitiam,& cito currite, *& dicite diſcipulis eius, &* præcipuè *Petro,* tanquam præcipuo,quem cæteri ſequantur,& maximè contriſtato, ob negationem, *quod ſurrexit,& præcedit vos in Galilæam,*prius vobis ibi futurus, vbi ſine timore Iudæorum, qui ſunt in Hieruſalem maximo odio eum proſequẽtes, eum omnes diſcipuli & diſcipulæ videbitis, clarè atq; apertè agnoſcentes eum reſurrexiſſe, *Sicut* ipſe *dixit vobis,* quod præcederet vos in Galilæam, priuſquam ſcilicet vos à die feſto Paſchæ in Galilæam ex Hieruſalem eſſetis reuerſæ. *Ecce prædixi vobis*.Ecce quãta gratia vobis facta eſt, quod per nos angelos tam læta nuntia auditis, & quod futuram manifeſtationem

vobis annuntiemus. Curet igitur omnis diſcipulus vt eat in Galilæam, ſi dominus cupiat videre.

Exeuntes igitur *cito de monumento & cum timore magno* de re tam noua, ne forte etiam falſum eſſet hoc nuntium, & ne forte aliquid paterentur à Iudæis, quos ſciebant obſeruaſſe per cuſtodes an forte reſurgeret Chriſtus, vt gloriam Chriſti exterminarent. Et ſimul timebant ex aſpectu angelico inſolito. *Et nemini quicquam Dixerunt* de iſtis verbis, & viſione angeli, timentes, ne propterea aliquid paterentur: Gaudenter tamen de læto nuntio, valde magno gaudio, & currebant celeriter, vt hæc nuntiarent Diſcipulis.

Cum primum igitur exirent de monumento, & conuerterent ſe ad abeundum, occurrit eis Ieſus veniens tanquam verſus monumentum, et vident eum iuxta ſe ſtantem, & neſciebant quia Ieſus eſſet, & dicit Ieſus Magdalenæ, tanquam præcipuæ, *Mulier quid ploras* ibi circa monumentum? video te ploraſſe, & faciem tuam lachrymis rigatam, quare ploras? *Quem quæris* ibi in ſepulchro vnde egrederis? *Illa exiſtimans eum hortulanum*, & horti illius in quo erat ſepul-

ſepulchrum,cultorem (vt quem viderat eo ingredientem , & poſt ſtantem , tanquam hortũ conſideraſſet,ſiue verbis angelorum non credens , ſicut Zacharias & Sara non crediderunt angelo , ſiue timens extraneo homini nũtium angeli indicare.Sicut enim dicit Marcus , nemini quicquam dicebant, de verbis ſcilicet angeli ; & nemini extraneorum.timebant enim) *dicit ei,*& reſpondit:*Domine ſi tu ſuſtuliſti eum,*tanquam de noto loquens,quia fortè in horto iſto eum nos vis habere , *dicito mihi vbi poſuiſti eũ, & ego eum tollam,* & transferam ad locum, vbi tibi non oberit.Atque hoc dicto feſtina cum reliquis abibat.*Et ait Ieſus,*emittẽs conſuetam proprietatem vocis ſuæ , & auferens impedimẽtum oculorum, & aurium mulierum factum à ſathana , ſimul ambas cõpellãs, *Maria,* & tu Maria Iacobi, *Auete. Illæ autem* ſtatim ſe cõuertentes ex feſtino itinere ad Ieſum, quem iam reliquerant, cognoſcentes eum,*acceſſerunt eum , & tenuerũt pedes eius, & adorauerũt eum,* prouolutæ ſcilicet in terram. Tenebant autem pedes non violentè , ſed amicè petentes ab eo benedictionem . Ad tactum Chriſti, ait Cyrillus 49.cap.lib.12.in Ioannem,feſtinat

Magdalena, vt benedictionem ab eo conſequatur. Cyrillus lib. 12. in Ioannem cap. 50. Nondum aſcendi ad Patrem meum, id eſt, Nondum Pater per me Spiritum ſanctum ad vos miſit. Ambroſius libro de Iſaac & anima cap. 5. Etſi dicat Chriſtus: Noli me tãgere, Tu tene. Teneamus te. Vade ad Patrem, ſed non derelinquas Euam, ne iterum labatur. Tecum eam ducito iam non errantem, ſed arborem vitę tenentem. Tene, rape tuis pedibus inhærentem. Tecum aſcẽdam, noli me dimittere, ne iterum ſerpens venena ſua fundat, ne iterum fœmineum quærat mordere veſtigium, vt ſupplantet Adam. Ante Chriſti apparitionẽ non conſtat mulieres angelo credidiſſe, nec Apoſtoli crediderunt mulieribus, quia nullus dat fidem niſi ipſe Chriſt⁹: ſic nec mulieres nec Apoſtoli caruerunt timore, donec Chriſtus diceret, nolite timere, Etiamſi angelus hoc dixiſſet mulieribus, nolite timere. Quod autẽ Chriſt⁹ primo dicit mulieribus, auete, & quod mulieres poſtea accedunt & tenẽt pedes eius, deſignat, quod nemo inuocet Chriſtum, niſi quem Chriſtus prius ſalutat, orans pro eo patrem: & nos tunc accedere ad Chriſtum, cum ille nos gratis non credentes,

dentes, nec bene volentes præuenſerit. Petebāt autem mulieres benedictionem promiſſam, nempe ſpiritum ſanctum. Si enim omnibus Chriſtus dixit, de ſpiritu loquens, ſi quis ſitit, veniat ad me & bibat, Et: qui credit in me, ſicut dicit ſcriptura, flumina de ventre eius fluent aquæ viuæ. Et: Ignem veni mittere in terram, & quid volo, niſi vt accendatur? Et Ioannes de ipſo: Hic eſt qui baptizat in ſpiritu ſancto, multo magis hanc benedictionem promiſit Magdalenæ & ſimilibus, dandam ſcilicet poſt ſui glorificationem. Licet fortè non expreſsè hoc dixerit, ſicut apoſtolis in ſermone poſt cœnam ſub nomine Spiritus ſancti clarè locutus eſt, quomodo ante non fuerat locutus. Sic (Luca in hiſtoria reſurrectionis teſtante) recordatæ ſunt mulieres verborum domini, quibus traditionem, crucem, & tertiæ diei reſurrectionem prædixerat. Et tamen expreſsè ſcriptum nō eſt in prioribus, quantum ego memini, quod talia mulieribus dixerit. Recordantes igitur Magdalena cum ſuis promiſſæ magnæ benedictionis dandæ, cum Chriſtus eſſet glorificatus, & ſcientes, præcipuè Magdalena, quod ad pedes domini veniam acceperat, dulcia verba

Ioan. 7.
Lucæ 12.
Ioan 10.

audierat, quod optimam partem elegiſſet, & fratris ſuſtentationem impetraſſet, item pro effuſo vnguento ſuper pedes domini, promiſsionem æternæ memoriæ cum laude, ſtatim procidit ad pedes Chriſti & tetigit queadmodum Hemorroiſſa fimbriam veſtimenti, cupiens ſcilicet benedictionem impetrare, & tangendo tenebat. Pulchrè hoc verbo vtitur Matthæus, imitatus in hoc Moſen, qui ſcribit Iacob luctãtem cum angelo perſonam Chriſti geſtante, tenuiſſe eum, nec voluiſſe dimittere, niſi benediceret ſibi. Item illud Cantic. Tenui eum, nec dimittam. Et Eſaias, tenere ponit pro inuocare: Non eſt qui teneat te, & inuocet nomen tuum. Quam locutionem & Apoſtolus imitatus eſt, dicens: Gentes appræhenderunt iuſtitiam, hoc eſt, inuocatione conſecutæ ſunt.

Lucæ 8.
Gen. 32.
Cantic. 3.
Eſaiæ 54.
Rom. 9.

Cum igitur inſtanter peterent mulieres Chriſti promiſſum, reſpõdit Chriſtus: *Noli me tangere*, quod pluraliter allegat Athanaſius in tractat. de incarnatione Domini, qui incipit, Mos pij hominis, dicens Chriſtum prohibitis mulieribus dixiſſe, Nolite me tangere. *Illæ autem acceſſerunt et tenuerunt pedes eius*. Et ſenſus eſt: Nolite tam

inſtan-

inſtanter tangere pedes meos, dimitte eos, quia non eſt adhuc tempus elargiendi promiſſum Spiritum ſanctum, quia *nondum aſcendi* in cœlum *ad Patrem meum*; & poſt aſcenſionem tunc demum eſt Spiritus ſanctus dandus. *Nolite* tamen *timere*, nō fraudabimi promiſſo, *ſed ite ad fratres meos*, & dicite eis, quod iam ſtatim aſcendā ad eum, qui cum mihi ſit naturaliter pater & Deus, à me vt homine cultus ſemper, nunc effeci eum etiam vobis patrem adoptiuum, & vt eum pro Deo veſtro ſemper colatis. Tunc ſtatim effundam benedictionem, quam nūc petitis. Ite ad fratres meos omnes diſcipulos atque credentes, *& dicite eis*, *vt eant in Galilæam*, *ibi* clarè atque manifeſtè in multis argumentis *me videbunt* omnes ſine Iudæorum timore.

Cum igitur ſurrexiſſet Ieſus *mane* primo die hebdomadæ, quo ſcilicet creatura inchoata eſt, vt eodē die recreationis eius origo Chriſtus totus nouus eſſet, *Apparuit* in conſolationem infirmi & abiecti ſexus, omniumque peccatorum, *primò Mariæ Magdalenæ*, *de qua eiecerat ſeptem dæmonia*, vt ſicut viro fuit mulier prouocatio ad peccatum & mortem, ita mulier à Mar.16.

Chriſto

Chriſto informata annuntiaret vitam iuſtificatoris noſtri. Venerunt igitur mulieres, & nuntiauerunt hæc omnia illis vndecim, & ijs qui cum illis erant, & dixit Magdalena, Dominus viſus à me, dixit mihi, vt irem ad vos, & dicerem verba eius, Aſcẽdo ad Patrem meum, & Patrem veſtrum, et Deum meum, & Deum veſtrum. *Et viſa ſunt ante eos ſicut deliramẽtum verba iſta, & non crediderunt* mulieribus de Chriſti reſurrectione & apparitione.

Ex prædictis clarè conſtat bis mulieres iuiſſe ad monumentum, docente Ioanne: Alios autẽ tres Euangeliſtas abſoluiſſe hæc duo itinera ſimul, tanquam vnicum fuiſſet; curam ſcilicet tantum habentes declarandæ reſurrectionis Chriſti per nuntium angelicum, ſicut Lucas manifeſtè ita coniungit apparitionem factam in die Paſchę cum Aſcenſione Chriſti, tanquam ipſo eodem die facta fuiſſet aſcenſio. Ex quo intelligimus Euangeliſtam contentum fuiſſe exponere in Euangelio ſubſtãtiam reſurrectionis & apparitionis Chriſti, nõ curãs exactè deſcriptionem temporum diuerſorum, quibus Chriſtus apparuit: vnde & prætermiſit apparitionem mulieribus factam, nec meminit

minit Dominum in Galilæa viſum. Sic & Marcus videtur, dum dicit, Nouiſsimè recumbētibus illis vndecim, nouiſsimam apparitionem appellare omnes apparitiones factas,& in die Paſchæ, & in die Aſcenſionis. Sicut poſſemus dicere, primo occurrit Eſau Zelpha, ſecundo Bala, nouiſsimè Lia & Rachel, cum tamen Lia & Rachel non ſimul occurrerint. Et fortaſsè Matthæus Chriſti apparitionem coram vndecim diſcipulis deſcribens, multas coniungit. Nam meminit prædicationis euangelij corā omnibus Gentibus,& baptiſmi, item perpetuæ præſentiæ Chriſti, quæ ex 1. cap. Actuum, in die Aſcenſionis dicta vidētur, licet Ioannes etiā in die Paſchæ ſimilia dicta ſcribat.

Conſtat ex dictis, quod ſicut Chriſtus naſciturus, præcurſores habuit Ioannem & Zachariam, atque Elizabeth, qui mirabili conceptione, loquelæ amiſsione, mirabili eius reſtitutione, mira prophetia & natiuitate, imò exultatione in vtero infantis Ioannis, præpararent homines ad Chriſtum puerum ſuſcipiendum: Item ſicut Chriſtus prædicaturus, baptizaturus, prędicationem & baptiſmum Ioannis præmiſit, quæ homines præpararent, & item diſcipulos, quos

binos

Lucæ 10. binos miſit in ciuitatem omnem & locum, quo erat ipſe vēturus, ne ſcilicet filius Dei omninò veniret inexpectatus: Ita etiā immortalis factus maxima præparatione præmiſſa, primū apparuit. Lapidis enim reuolutione, linteorum in vacuo ſepulchro relictione, terræ motu, & cuſtodum terrore fuerunt præparatæ mulieres, & Petrus & Ioānes, & ex horum narratione, etiam alij. Similiter mulieres angelico nuntio: & tunc Chriſtum viderunt & tenuerūt pedes eius. Harum narratione fuit Petrus præparatus, & ſic vidit dominum. Similiter duo diſcipuli in Emaus. Omnium ſimul narratione fuere præparati decem Apoſtoli, & ſic admiſſi ſunt vt viderent dominum, & tādem Thomas. Et ſic omnium apoſtolorum narratione præparati viderunt eum in Galilæa plurimi et frequenter.

Conſtat etiam Chriſtum primò apparuiſſe Magdalenæ, ſiue ſoli, vt putat Auguſtinus, ſiue cum altera Maria, vt ego puto. Nam quod Sedulius dicit de carmine, primum virginem matrem Chriſtum vidiſſe poſt reſurrectionem, ex eodem errore dicit, quo narrat in eodē carmine ipſam Deiparam cum Magdalena veniſſe ad vngendum

dum Chriſtum,quod procul erat ab ea virgine,quæ fide reſurrectionis Chriſti omninò fulta erat. Et ex deuotione non admodum ſolide pingitur ipſa Chriſtum de cruce depoſitum gremio ſuſcepiſſe, et ſepulchrum ſtudioſè conſideraſſe. Allegatur et Ambroſius tanquam dicens 3.lib. de virginib⁹,quod mater virgo prima viderit Chriſtum immortalẽ, cum hoc Ambroſius non dicat de Deipara, ſed de Maria vna Magdalena, facit enim ipſe duas Magdalenas, ſcribens in Lucam in hiſtoria reſurrectionis,quarum vnam virginem dicit libro tertio de virginibus fuiſſe, et primam dominum vidiſſe, et expreſsè agit de ijs mulieribus,quæ ſtudioſe obſeruauerãt monumentum,quod de Deipara nõ legitur. Sequentia quæ incipit,Mane prima ſabbathi,comparat inter ſe Dei matrẽ et Magdalenam, et aſſerit Magdalenam primũ vidiſſe Chriſtum poſt reſurrectionem. Deipara eo perfectionis venit, quam commẽdat Chriſtus, dicens: Beati qui non viderunt et crediderunt, quo Apoſtoli in die Aſcenſionis venerunt, dum cum gaudio reuerſi ſunt ablato in cœlum Chriſto: quo venerunt poſt Penthecoſten, plus cõtemplatione diuinitatis Ioan. 20.

tatis

tatis ſe occupantes,quam deſiderio humanitatis Chriſti vidēdæ. Sanè iuxta noſtram ratiocinationem vndecim Apoſtolis prius, quam Cleophæ debuiſſet apparere, prius matri,quam Apoſtolis corpus ſuum et ſanguinem communicare, ſed aliter ipſe iudicauit.Sanè Auguſt.lib.3.de conſen.Euang. cap.25.ſimpliciter intellexit Chriſtum primo apparuiſſe mulieribus. Non dixit Pau-
1.Cor.15. lus,inquit,primò apparuit Cephæ. nam eſſet contrarium quod primò mulieribus apparuiſſe in Euangelio legitur. Porrò non ideò Maria Iacobi ſanctior eſt Apoſtolis, quia prius Chriſtum vidit, aut Paulo qui poſtremus vidit, aut Martyribus qui nunquam viderunt.

Poſt mulieres dicitur à Luca apparuiſſe Simoni,quem Petrū intelligimus: ex dicto Pauli,viſus eſt,inquit Cephæ. Et in tribus Euangeliſtis,vbi datur ipſi præ alijs dignitas & promiſsio,vocatur à Chriſto proprio & antiquo nomine Simon, vt cognoſceret ex quanta vilitate,ad quantam dignitatem
Matt.16. à Chriſto exaltaretur: Beatus es, inquit,
Lucæ.22. Simon Bar iona. Et:Simon,Sathanas expetiuit vos vt cribraret ſicut triticum, ego autem rogaui pro te, vt non deficiat fides tua.

tua. Et iterum : Simon Ioannis diligis me Ioan 21.
plus his? Paſce oues meas. Propter quod reputo Lucam ſic dixiſſe, apparuit Simoni, potius, quam Petro. Non enim parum negatori præſtitum eſt, dum Chriſtus præ alijs maribus diſcipulis ei apparuit ſpecialiter. Probabiliter etiam creditur prius Petro, quam duobus euntibus in Emaus apparuiſſe, de quo tamen nihil certi conſtat.

Deinde viſus eſt Cleophæ & ſocio, primò quidem impeditis per Sathanam oculis eorum, tanquam habuiſſet aliam effigiem, quam propriam : impeditis quoq; auribus, velut aliam vocis proprietatem habuiſſet. Deinde ablato impedimẽto, in propria ſpecie, & loquela, ſicut deſcribit Lucas, quibus idem narrantibus quidam non crediderũt.

• Deinde viſus eſt decem Apoſtolis, & ijs qui cum ipſis erant in Hieruſalẽ, ſicut conſtat ex Ioanne & Luca. Deinde octauo die apparuit vndecim Apoſtolis veriſimiliter, & certum eſt quod multis diſcipulis cum Thoma, vt Ioannes narrat. Et fortè de hac apparitione dicit Paulus : Et poſt hoc vn- 1.Cor.15.
decim, ſiue, vt Græci legunt, duodecim, vt Mathias fuerit etiam ibi, vel appelletur ſocietas Apoſtolorum à ſacrato numero, ètſi adhuc

adhuc completus non eſſet. Sed ſi eum tropum amplectamur, forte de apparitione facta in die reſurrectionis loquitur Paulus. Non cōſtat autē, an inter diem primum & octauum vſquā apparuerit Chriſtus. Nam quod Ioannes dicit, hoc iam tertio manifeſtatus eſt Ieſus diſcipulis ſuis, non conuincit eum ſex intermedijs diebus non eſſe viſum. Sic enim poſſet intelligi, hac tertia vice manifeſtatus eſt ijſdem diſcipulis ſuis multis ſimul. Nam filij Zebedæi, & fortaſſe alij iam tertio eum viderunt ad mare Tyberiadis. Licet Petrus quarto eum viderit, & Thomas ſecundo. Auguſt. intelligit hic eſſe tertium diem, quo apparuit Chriſtus diſcipulis ſuis, & ita ſex medijs diebus inter primum & octauum non apparuiſſet. Fortaſſe ideò, quia Apoſtoli & alij diſcipuli tūc reuerſi ſunt ex Hieruſalem in Galilæam. Nam non conſtat vbi octauo die apparuerit, an in Hieruſalē, an in Galilæa. Etſi enim diſcipuli fuerint intus clauſis ianuis, non dicit tamen Ioannes quod propter metum Iudæorum, quāquam & in Galilæa metuere potuerint Herodem & ſimiles.

Deinde legimus Chriſtum apparuiſſe ad mare Tyberiadis, quam apparitionem ſolus Ioan-

Ioannes ponit,in qua Apoſtoli primum Ieſum ſtantem in littore non cognouerunt, nec viſu,nec auditu, quia mane erat, & vt apparet,nondum omninò clarum , & tantà erat Apoſtolorum diſtantia,vt voceni non diſcernerent.Et neſcitur,an ſit prior apparitione, cuius meminit Matthæus , etiam factæ in Galilæa, in monte conſtituto à Ieſu.Et ſimiliter neſcitur, an conſtituerit eis Ieſus locum , in Hieruſalem apparens , an octauo die in domo,an per mulieres,an per alios.Non conſtat ſimiliter an hæc apparitio ſit eadem cum ea quam narrat Paulus factam plus quam 500.fratribus.Hæc enim poteſt contigiſſe etiam abſentibus Apoſtolis.Et notandum illud,*pluſquam*,apud Paulũ,ad verbũ eſſe,ſupra:quod dupliciter poteſt intelligi ; vno modo, vt ſignificet plus quàm:alio modo,vt ſignificet deſuper,ſiue cœlitus , ita vt Chriſtus ſtaret in aëre , vt à quolibet quingentorum poſſet optime videri.Sanè Matthæus dicit Chriſtum viſum et adoratum ab vndecim,et tũc Chriſtum acceſsiſſe propius,ex quo apparet quod primo viderunt eum aliquantulum eminus, et deinde magis ad eos venerit, vt eum ſimul ſecum loquẽtem videre poſſent et tangere.

In Galilæa autem tam frequẽter et à tam multis eſt viſus, vt ipſe apud Matthæum et Marcum, ante paſsionem, et poſt reſurrectionem apud Matthæum, et ſimiliter angelus apud eoſdem tantum legantur prædixiſſe apparitiones factas in Galilæa, quaſi factæ in Hieruſalem exiguæ forent harum comparatione. Et in Galilæa multa alia argumenta oſtendit, quorum Lucas meminit Act. 1.

Et tunc locutus eſt cũ eis de regno Dei, hoc eſt, de Eccleſia Chriſtiana ædificanda, et aliqua huc pertinẽtia habemus in Euangelijs. Habemus enim quod euangelium eſſet prædicandum omnibus gẽtibus per totum orbem, quod Apoſtoli eſſent Chriſti vicarij miſsi ab eo ſicut ipſi à Patre, quomodo baptizare deberent. Et ex his paucis intellige eos etiam de altaris ſacramento & ſimilibus inſtitutos. Aperuit illis ſenſum, vt intelligerent in omnibus ſcripturis deſignari paſsionem & reſurrectionem Chriſti, & per eum pœnitentiam & reconciliationem gentium. Habemus quod vnus eſſet omnium ouium Chriſti paſtor. Datur promiſsio perpetuæ aſsiſtentiæ, ex quibus omnibus inſinuatur nobis, quod iſtis quadraginta

ginta diebus plenè regimẽ Eccleſiæ à Chriſto ſit traditum.

Hic obiter admonendum eſt merè falſam eſſe fabulam, quam tradunt, qui ex Hieruſalem veniunt, partem vnam montis Olıueti quæ eſt iuxta Hieruſalem vocari in euangelio Galilæam, quia Galilæi ſcilicet ad diem feſtum venientes ibi manere conſueuerant, cum nuſquam ſic vtatur nomine Galilææ Mattheus, ſed propriè; Et Ioannes clare doceat Chriſtum ad mare Tyberiadis apparuiſſe.

Narrat Apoſtolus Paulus poſtquã pluſquam quingentis fratribus apparuit, viſum eſſe Iacobo, ſcilicet minori et iuſto, fratri domini. Huius enim tantum meminit in epiſtolis ſuis Paulus (Iacobo Zebedæi dudum ſublato per Herodem) qui fuit epiſcopus Hieroſolymis. Non quin & huic, vtpote vni de duodecim & cum alijs ante ſit viſus, ſed quia huic ſeorſim viſus eſt. Notandum autem eſt merè fabuloſe & fidei euangeliorum contrarium eſſe, quod legitur in apocrypho, & citatur ab Hieronymo in lib. de ſcriptoribus, in Iacobo, vbi ſic legitur: Dominus cum dediſſet ſindonem ſeruo Sacerdotis, iuit ad Iacobum, & apparuit

ei.iurauerat enim Iacobus ſe non comeſturum panẽ ab illa hora, qua biberat calicem domini,donec videret eum reſurgentem à mortuis. Et rurſum poſt paululum: Afferte,ait dominus,menſam & panem, tulit panem, benedixit ac fregit, & dedit Iacobo iuſto,& dixit ei: Frater mi,comede panem tuum, quia reſurrexit filius hominis à dormientibus. Hæc ibi. Sanè cum Apoſtolus Paulus ponat eum viſum, poſtquam quingentis fratribus viſus eſt,incredibile eſt Iacobum tam diu ieiunaſſe,niſi aliam dicas à Paulo poni apparitionem. Secundò, quomodo Iacobus fuit ſcãdalizatus in Chriſto, ſicut de ipſo & omnibus Apoſtolis dixit Chriſtus,ſi in ea fide perdurauit,quod tam breui reſurgeret, vt ipſe tamdiu ieiunare poſſet? Deinde quomodo conſonat Euangelio Ioannis & Lucæ dicentiũ lintea manſiſſe in ſepulchro,ſi dominus ſindonem dedit ſeruo ſacerdotis? Quæ enim alia ſindon poteſt intelligi,quã ea in qua inuoluit eum Ioſeph?Hoc igitur Euangeliũ,ſicut & Nicodemi,nullius eſt authoritatis,ſed ſemper ab Eccleſia eſt ei interdictum, ſicut teſtatur etiam Origenes homi.8.in Matthæum. Euſeb.lib.3.cap.25.Hieronymus lib.3.contra Pe-

tra Pelagianos, licet ipſe Hieronymus dicat in ca.12.Matth.multos putare hoc eſſe authenticum Matthæi, et horum errorem ſequatur ipſe in lib. de ſcriptor. in Matth. Et ſimiliter Epiph in hæreſi Nazaræorum.

Deinde(ait Apoſtolus) viſus eſt *Apoſtolis omnibus*, vbi vel vndecim tantum, vel etiam alios qui Apoſtoli vocantur, vt Barnabas et Mathias, aut aliquos ex 70. comprehendit. Et fortè hoc eſt factum in die Aſcenſionis, quando ſicut Lucas in Euangel et in Act.dicit, præcepit ab Hieroſolymis ne diſcederent.Et hæc apparitio in qua hoc præcepit, contigit in Hieruſalem, vt patet Luc.vlt.vbi dixit eis ea quæ Act.1.dicuntur, aut ea dixit in monte Olueti.Ex hoc patet Chriſtum in Galilæa eis dixiſſe, vt in die Aſcēſionis eſſent in Hieruſalem. Propter promiſſionē enim Dauidi factam, voluit Chriſtus primo fundare Eccleſiam ſuam in Hieruſalem:Elegit dominus Sion, elegit eam in habitationem ſibi: ideóque præcepit eis ab Hieruſalem ne diſcederent, ſed expectarent promiſſionem patris,nēpe baptiſmum ſpiritus,& indumentum virtutis intra paucos dies.Ipſi verò intelligentes ſpiritum magnam mutationem allaturum, Pſal.131.

interrogarũt an Chriſtus eo tempore,quo veniret ſpiritus,reſtitueret regnum Iſraëli, vt Iſraël amplius nemini ſubiaceret. Chriſtus reſpondit hoc futurum quandoque,vt verus Iſraël regnaret ſuper omnes : verum hoc intra paucos illos dies nõ futurum, ſed tempore Deo placente, etiam ſpiritum facturum, vt ipſi vbiq; Chriſtũ annũtiarent.

Eduxit autem eos foras,vt mihi apparet, ex Hieruſalem *in Bethaniam*,viſibiliter ſcilicet ambulans cum eis , & tanquam dux præcedens eos (licet increduli videntes Apoſtolos,& eos qui cum eis erant , ipſum non viderent)ita vt in Hieruſalem,itinere, & aſcenſione vnica fuerit apparitio continua. *Et* ibi *eleuatis manibus* ſuper diſcipu-
Matt.28. los ſuos,*benedixit eis*,fortaſsè dicens: Ecce ego vobiſcum ſum omnibus diebus vſq; ad conſummationem ſeculi, Ego mittam vobis promiſſum patris.aut orans patrẽ ſuum, aut fortè illa eſt benedictio ; Eritis mihi teſtes in Hieruſalem,etc.Hoc enim Chriſtus prædicit & promittit, nõ imperatiuè dicit. Summa autem benedictio eſt teſtari Chriſtum , & merito vocatur benedictio , quia per illud teſtimonium Apoſtoli ſunt multiplicati in omnibus credentibus tanquam filijs.Be-

lijs. Benedictio enim proprie eſt in multiplicatione. Leuabat autem manus tanquam ponens ſuper capita omnium, ſicut Dixit de Apoſtolis: ſuper ægros manus imponēt, & ſicut pueris impoſuit manus. Ex qua fortè obſeruatione Apoſtoli orantes vt homines acciperent Spiritum ſanctum, ipſis manus imponebāt. *Et* hoc modo eleuatis manibus inter benedicendum diſcipulis, *receſſit ab eis, & ferebatur in cælum*, illis videntibus, donec nubes eum ſuſciperet ab oculis eorum. Et illis adorantibus Chriſtum, dum iret, *Cúmque intuerentur in cælū euntem*, hoc eſt, poſtquā iuiſſet in cœlum (illud enim, euntem, eſt præteriti temporis imperfecti, ſicut patet ex verbis angelorum) *ecce ſteterunt iuxta illos in candidis veſtibus duo viri, qui* angeli erant, *& dixerunt: Viri Galilæi,* quare tam intētè reſpicitis cœlum, nō eſt opus corporaliter aſpicere amplius, ſed expectandus eſt ſecundus Ieſu aduentus. *Hic Ieſus qui aſſumptus eſt à vobis in cælum, ſic veniet*, omnibus conſpicuus iudex, *ſicut* nunc *vidiſtis eum euntem in cælum*.

Marci. 16.

Marci 10.

Actuū 8.

Acto. 1.

Chriſtus autem Meridie aſcendit, ſicut dicit Proſper in lib. Sententiarum ſentē. 23.

& ſumpſit ex Auguſt.in Pſal.54.Fortè hoc dixit Auguſt.ex illo quod dicitur in Actis, conueſcens, vel in Marco: nouiſsimè recumbentibus, quod de die Aſcenſionis intelligit Auguſt. & ex eo,quod eodem die reuerſi ſunt per iter ſabbathi vſque Hieruſalem.ex quo apparet,circa Meridiē aſcendiſſe. Maria igitur mater Ieſu, & Apoſtoli vndecim, & mulieres, & cognati Chriſti, alijque fideles non ſunt contriſtati de hoc Chriſti abitu, ſed maximo gaudio repleti, quod ipſe iret ad Patrem, & quod pararet eis locum, & iuxta Chriſti præceptum venerunt in Hieruſalem ipſo 40. die à Reſurrectione, & manebant in illo grandi cœnaculo ſtrato, vbi Chriſtus Paſcha comederat; euntes etiam horis debitis ad Dei templum, ſemper de redēptione per Chriſtum facta,& eius gloria laudantes & benedicentes Deum,& ante Penthecoſten, & poſt.

Act.cū 1. Et ante Penthecoſten fortè electus eſt Mathias,præmiſſa oratione,Deo aſſumēte eum,cum tamē præpoſitus ei videretur Ioſeph, iuſtus dictus à ſancta ſecūdum legem conuerſatione,cognomento Barſabas, hoc eſt,filius quietis,qui tres fratres inter Apoſtolos habebat,Iacobum Alphæi,Simonem Zelo-

Zelotem, & ſanctum Iudam.

Et cum compleretur dies ſiue tempus quinquageſimæ, hoc eſt, cum iam ageretur vltimus dies quinquaginta dierum, quod tempus quinquaginta dierum Penthecoſte dicitur, qui dies erat Dominicus, ſiue prima ſabbathi, eo quod à craſtino feſti Paſchę quod tunc fuerat ſabbathum, hoc eſt, à prima ſabbathi incluſiuè, computabãtur iuxta Dei præceptum in Numeris cap. 18. quinquaginta dies. Semper enim à craſtino ſabbathi concurrentis in hebdomada Paſchæ, quocunque die veniret Paſcha, offerebatur manipulus primitiarũ. Hoc igitur die feſto hebdomadarũ omnes diſcipuli, inter quos 120. erant nominati viri, pariter erãt in vno loco, & deſcendit Spiritus ſanctus, vt deſcribit Lucas. Actuũ 2.

Nouiſsimè omnium Dominus Ieſus de cœlo corporaliter deſcendit, & venit ad Paulum, et docuit eum proprio ore totum euangelium, et myſterium lapſus, et reparationis generis humani, quod ex ſcripturis certò conſtat, vt 1. ad Corinth. 15. et ad Galath. 1. Niſi enim Paulus loqueretur de corporali viſu Chriſti, 1. ad Corint. 15. quomodo eum viderunt Apoſtoli poſt reſurrectio-

rectionem nõ eſſet idonea probatio reſurrectionis ex manifeſtatione ei facta. Sic Actuum 23.loquitur dominus Paulo: Conſtans eſto, ſicut enim teſtificatus es de me in Hieruſalem, ſic te oportet & Romæ teſtificari.

Non improbabilis etiam eſt hiſtoria, tradens Ieſum de cœlo deſcendiſſe, ſicut narrat Ambroſius, ſiue (vt inſcribuntur libri) Egeſippus, & hortatum Petrum vt pro eo crucifigeretur. Et Marcellinus comes narrat in Chronicis, indictione 2. Monaxio & Plinta conſulibus (decẽ ſcilicet annis ante mortem Auguſt.) Dominus noſter Ieſus Chriſtus in nube apparuit in monte Oliueti, vnde multæ vtriuſq; ſexus vicinarum gentium nationes, tam viſu quam auditu perterritæ atq; credulæ, ſacro Chriſti fonte ablutæ ſunt, omniumque baptizatorum in tunicis crux Saluatoris diuinitatis nutu extemplo preſſa refulſit.

Lib.3.de excidio Hieroſo. r7.

Hoc verò notandum eſt in Euangelio Ioannis, quod ſicut ipſe ex geſtis & verbis Chriſti adhuc mortalis, docet eum Deum fuiſſe, ita & ex verbis & ex geſtis Chriſti immortalis, idẽ docet. Dum enim cum inſufflatione eis largitur Spiritum ſanctum, quod

quod Dei eſt,ſignificat eum ex ſe procedere,& ſe eſſe eius datorem. Dum miraculum circa piſcium captionem facit,dum à Thoma tanquam Deus glorificatur, Deus eſſe oſtenditur: Lucas quoque ſibi ſimilis ſicut Chriſtum in ſynagoga ſcripturam Eſaiæ in ſe completam docere oſtendit initio prædicationis, ita & poſt reſurrectionem eum multipliciter ex ſcripturis diſſerentem inducit,& aperientem Apoſtolis ſenſum, vt intelligerent ſcripturas,quod fit donatione Spiritus ſancti,& Dei proprium eſt.

Sed videndum, an quod Ioannes dicit Chriſtum ianuis clauſis introijſſe, dicat id de eo ratione diuinitatis, an ratione glorificati corporis. Et videtur Damaſce.lib.4. de ortho.fide cap. 19. id Chriſto tribuere, ratione glorificati corporis. Eorũ,inquit, quæ ad hominẽ pertinent poſt reſurrectionem,quædã tribuuntur Chriſto ſecundum veritatem & naturam, vt tranſire de locis in loca,infatigabiliter,& per portas clauſas ingredi. Et ca.vlt. eiuſdem libri, Reſurget, inquit,corpus ſpirituale, immutabile, impaſsibile, ſubtile (hoc enim deſignat ſpirituale,quale domini corpus poſt reſurrectionem)clauſis portis ingrediens,infatigabile,

cibo

cibo & potu non indigẽs. Idẽ habet Theophyl. in vlt. cap. Luc. Et Bonauentura in 4. diſt. 49. putat corpus glorioſum poſſe actiuè penetrare omne nõ glorioſum. Et Ioannes Prouẽſalis quodlib. 3. quæſt. 7. At quod hoc ſit miraculũ, ingredi ianuis clauſis, ſola Dei potẽtia poſsibile, tenet Thomas, & plures veteres pro ſe habere videtur. Hilarium imprimis in Pſal. 55. & 138. & lib. 3. de Trini. ſub finem. Hiero. in epiſt. aduerſus errores Ioannis Hieroſolymitani, vbi reijcit argumentũ Origenis, quo probabat corpus fore in reſurrectione aëreum, quia clauſis ianuis introiuit, ex eo, quod hoc virtute diuina factum eſt, ſicut quod terra pendet ſuper nihilũ, quod ambulauit Chriſtus & Petrus ſuper aquas. Idem facit in epitaphio Paulæ, & lib. 1. contra Iouinianum verſus finem, & in fine apologiæ aduerſus Iouinianũ. Aug. etiam epiſt. 3. ad Voluſianũ, & lib. 22. de ciu. Dei, cap. 8. & de agone Chriſti ca. 24. & ſuper Ioannem. Leo ſerm. 1. de reſur. epiſt. 10. ad Flauianum ca. 5. quæ epiſtola eſt approbata in concilio Chalcedonenſi, & vſq; ad vnum apicem voluit eam Gelaſius in omnibus recipi. Fulgentius in lib. de incarnat. Chriſti cap. 11. cuius verba citantur etiam

ſuper

ſuper hac re in ſynodo Hiſpalenſi 2. ca.vlt. Greg.in homil.8.Paſchæ.Similiter & Græci doctores.Chryſoſt.hom.2. in ſymbolum Apoſtolicũ. Cyril.quoq; admodũ expreſsè lib.12.in Ioan.c.56.& 59.& lib.de recta fide ad reginas. At Chryſoſt.in Ioan.hom.86.& Epipha.in hære.Origenis,& in anchoratu, tribuũt introitũ Chriſti per ianuas clauſas ſubtilitati & ſpiritualitati corporis reſurgẽtis,vt apparet.Sed reſpõdendũ eſt,Epiphanium duo dicere de corpore domini,quod ſubtile erat,& deitate contẽperatũ,& quod noſtra corpora nequeant fores penetrare propter craſsitudinẽ,& quod nondũ in ſpiritualitatẽ,& ſubtilitatẽ ſint coũnita.Dicẽdũ igitur in noſtris corporibus duo eſſe impedimẽta penetrãdi fores clauſas,nẽpe craſſitudinẽ corruptionis & ipſam ſubſtãtiã corporis, in reſurgẽtibus ſolũ eſſe vnũ impedimẽtũ,nẽpe ſubſtãtiã corporis,quã diuinitas poteſt cũ vult per fores clauſas ducere,ſicut fecit in Chriſti reſurrectione, quãquam & corruptibili corpori hoc etiã præſtare poſſit,ſed miraculo maiori & duplici, vbi poſt reſurrectionẽ vnũ tantũ eſt miraculum.Sic Euthymius in Ioã.Clauſis foribus introiuit tanquam Deus , & quaſi corpore ſuo leui, ac ſub-

ac ſubtili,& immortali effecto,in quo ſcilicet magis decet Deũ oſtendere magnũ miraculũ penetrandi clauſa,ſicut Cyrillus annotat in lib.ad reginas de recta fide.Sic igitur Chryſoſt.etiam intelligẽdus eſt, & hac ratione naturale dicitur ſecundũ Damaſce. glorioſo corpore per clauſa tranſire, quia non eſt per naturam tali corpori impedimentum corruptionis aggrauãtis,& eſt magis idoneum vt penetret,quã dum eſt mortale, hoc tamen non poteſt niſi Dei miraculo.Sic Aug.lib.de agone Chriſtiano cap. 24.Si potuit Chriſtus ante paſsionẽ clarificare corpus ſicut ſplendorem ſolis, quare non potuit & poſt paſsionem ad quantam vellet ſubtilitatem in momento temporis redigere,vt per clauſa oſtia poſsit intrare? Ecce momentanea eſt Aug. ſubtilitas, hoc eſt, penetrandi virtus in corpore glorioſo, & magis veriſimilis,quam miraculũ in corpore mortali factũ.Sic in ſtatu integro vnicum fuiſſet miraculũ, clauſo vtero egredi. Nunc duplex eſt, nempe, hoc ipſum miraculum, et quod virgo ſiue incorrupta pariat mulier, quod in ſtatu innocentiæ naturale fuiſſet.Sicut verò corpora glorioſa ſua virtute nõ poterũt penetrare alia, et ſpatia occu-

occupare debebunt, vt dicit Aug.epiſt.ad Dardanum,et lib.20.de ciui.Dei cap.18.ita mouebuntur in tempore,etſi celerrime, et celerius quam ſol fortè, qui tot milia miliarum præcurrit in 24.horis.Vnde ſi eſſet homo apud nos exiſtẽs, qui tam celeriter momẽto euaneſceret ex oculis noſtris,et quaſi videretur interire. Vnde etiam ex agilitate poteſt cõtigiſſe quod Chriſtus euanuit repentè ex oculis diſcipulorum, nõ ſolum ex poteſtate ſe abſcondendi,vt rectè Thomas dicit in 3.parte quæſt.54. art.1.ad 2. Quod ergo dicit Aug.22.de ciuit Dei cap.30.vbi volet ſpiritus,ibi protinus erit corpus, verum eſt, ſed ſpiritus non deſiderabit citius alicubi eſſe quam corpus. Per celerrimum motum ibi erit.Deinde (protinus)ſpatium ſignificat temporis.

Decimo die ab Aſcenſione,venit Spiritus ſanctus, vtpote impleturus Decalogũ. Spiritus ſanctus 50.die à Reſurrectione deſcendit, tanquam complens nouum teſtamentum: ſicut 50. die ab exitu de Ægypto data eſt lex vetus,ſicut 50.anno redibat omnis homo ad libertatem, et ad priſtinã poſſeſsionem ſuam in lege.Sic igitur à peccatis per Spiritum liberi efficimur,et ad patriam Leuit.25.

cœleſtem

cœleſtem redimus. Quinquageſimus Pſalmus in 1. quinquagena continet conuerſionem ab adulterio & latrocinio, cõtinet agnitionem peccati & naturæ corruptæ, continet agnitionem veracis promiſsionis Dei & occultorum ſapientiæ eius de genere humano per Chriſtum ſaluando, continet ſpem & inuocationem miſericordiæ Dei pro remiſsione peccatorum, & mundatione ab eis per aſperſionẽ ſanguinis Chriſti. Continet expreſſam inuocationem Dei, vt det ſpiritum, qui mutet immũdum cor noſtrum, & rectum faciat, & nos perſeuerare faciat & firmet in via Dei. Continet exaltationem peccatoris, ad hoc vt Deum laudet, & alios iuſtitiam doceat, continet abrogationem veterum cæremoniarũ, & prophetiam de ædificãda Eccleſia per Dei gratiam. Quæ omnia in ipſo feſto Pẽthecoſtes facta ſunt, & vbicunque ſpiritus Dei venit, fiunt. Pſalmus centeſimus, qui eſt ſecundus quinquageſimus, continet piam vitam & ſancta opera, & laudem iudiciorum Dei, & deſideriũ cœleſtis patriæ. Pſalmus 150. continet tãtum Dei laudem, quæ in cœlo complebitur. Vide Auguſt. cap. 16. et 17. de ſpiritu & lit. Item cap. 16. epiſtolæ 119. pulchrè expli-

explicantem correſpondentiã veteris legis datæ 50. die, & legis nouæ datæ etiã 50. die.

Sed latius expendamus modum deſcenſus Spiritus ſancti. In ipſo enim eius deſcẽſu quædam etiam quemlibet Spiritu ſancto plenum concernunt, quædam totam eccleſiam, quæ tunc naſcebatur, quædam correſpondent veteris legis donationi, quædam ſunt diſsimilia. Deſcendit igitur tanquã flatus. ipſe enim eſt, qui inſpirauit ſpiraculum vitæ in 1. hominis creatione. Ipſe eſt qui omnes viuificat, & à Patre, & Filio procedit, ſicut ſpiritus ex homine. Vnde in die Paſchæ Chriſtus inſufflando eum dedit. Deſcendit tanquam flatus vehemens, quia ipſe eſt, qui quemcunq; inhabitauerit, violentum aduerſus propriam prauitatem facit, iuxta illud Chriſti: Violenti rapiunt illud. Vehemens eſt hic flatus, quia nulla eſt prauitas vel potẽtia quæ poſsit ei reſiſtere, ſed obſiſtente toto mundo, per infirmos, & imperitos, & inglorios deuicit omnes potentes, ſapientes, & nobiles, vt eccleſia ædificaretur. Ipſe quemcunque voluerit quantumuis ſibi rebellem, ſibi ſubditum & habitaculum facit. Deſcendit ſubito & repentè, cum anteà non eſſet aliquod initium tem-

Geneſ. 1.
Ioan. 6.
Ioan 16.
Matth. 11.

M peſtatis,

peſtatis, quia repentè nulla quodammodo
præparatione in gentibus præmiſſa, congre
gauit Eccleſiã ex Gentibus, & quemcunq;
ipſe inhabitat, ad eum primo venit ad fa-
ciendum fidelem, cum non expectatur, imò
Eſa. 55. cum reijcitur, iuxta illud Eſaiæ: Inuentus
ſum à non quærentibus me. Ipſe cum ſono
venit, quia Eccleſiam valde clarè fulgentẽ,
& Chriſti gloriam prædicantem facit: &
quemlibet quem inhabitat, ſonorũ ad Dei
laudem reddit. Super vnam tãtum domum
venit, in qua omnes replet, quia vnicam
Eccleſiam ædificabat, in qua omnia viua
membra replet. Audierũt hunc ſonitum &
qui in domo erant, & qui extra eam, ſed ſo-
los domeſticos repleuit, quia gloriæ Eccle-
ſiæ & ſanctorum nota eſt etiam ijs, qui ec-
cleſiæ non ſunt participes. Super congrega
tos venit, quia diſperſos voluit cõgregare,
& diſcordes ad concordiam redigit, ſolóſq;
cõcordes inhabitat. Tanquam ignis venit,
Hebr. 12. quia ignis conſumens eſt, vt ait Apoſtolus,
conſumens, inquam, noſtras carnales cupi-
Eſa 4. ditates, iuxta illud Eſaiæ: Sanguinem Hie-
ruſalem lauerit, de medio eius in ſpiritu iu-
dicij & ardoris, quia in tenebris huius ſe-
culi lucet omnibus qui in domo Eccleſiæ
tanquam

tanquam ſub nube habēt vmbraculū, iuxta promiſsionem Eſaiæ alludentis ad columnam ignis & nubis, quæ duxit Iſraël per deſertum: Et creabit dominus ſuper omnem locum mōtis Sion, & vbi inuocatus eſt nubem per diem, & fumum, & ſplendorem ignis flammātis in nocte. Super omnem enim gloriam protectio. & tabernaculum erit in vmbraculum diei ab æſtu, & in ſecuritatem & abſconſionem à turbine & plúuia. Tanquam ignis venit, quia ad Dei amorē corda quæ inhabitat, accendit. Venit tanquam ignis ſuper totam Eccleſiam, ſicut olim deſcendit ignis ſuper ſacrificium Abel, & Salomonis, & Eliæ, ſic Deo gratum fuiſſe ſacrificium, quod pro tota Eccleſia Chriſtus obtulit, per ignem oſtēſum eſt, eóſq; oſtendit Chriſtus Deo patri ſuo placere, quos ei in cruce obtulit, & pro quibus ſe obtulit. Ipſe enim eſt Abel, ipſe eſt Salomō, & Elias verus zelator pro Dei gloria. Meritò inſuper ex Chriſto iam glorificato tanquam ignis venit. Ex petra enim ſuper quam poſuit Gedeon carnem hœdi et ius, egreſſus eſt ignis, qui ea conſumpſit, quia ex Chriſti carne glorificata venit ſpiritus culpam & illecebras cupiditatum abſumēs, ſicut pulchrè

Gene.4: vt de tradit. Hebraic. Hierony. 2. Paral. 7. 4 Reg. 18

Iudicū 6.

Ambroſius lib.1. de Spiritu ſancto exponit in prologo. Venit etiam in ſpecie linguæ, quia cum cor incenderit, ſtatim in locutione apparet, quis ſpiritus ſit in corde, ſicut ait Hieremias cap.20. Factus eſt mihi dominus, ſiue ſermo eius, quaſi ignis, clauſuſque in oſsibus meis & defeci, ferre non ſuſtinẽs, quia videlicet, propterea quod alij deriſerañt ſermonẽ domini, dixerat: Non loquar vltra in nomine Domini. Sicut enim ait
Matth.12. Chriſtus: Ex abundãtia cordis os loquitur. Hinc in Pſalmo Penthecoſtali petito Spi-
Pſal 50. ritu ſancto, audet peccator dicere: Docebo iniquos vias tuas. Et exultabit lingua mea iuſtitiam tuam. Et os meum annuntiabit laudem tuam. Certè ſpiritus quemcunque inhabitat, facit eum ſtatim confeſſorẽ peccatorum, rogatorem veniæ, & clamantem:
Roma 8. Abba pater, & laudentem, et pſallentem, et gratias agentem Deo. Spiritus hic efficit doctores, correptores, exhortatores, conſultores, et conſolatores, nec vſquam magis ſe profert charitas proximi, qua ad æternã vitam diligitur, quam in lingua, vtpote qua ſola propriè communicat alteri bona ſpiri-
Matth.12. tualia: Nimirum bonus homo de bono theſauro profert bona. Ideò autem viſæ ſunt

linguæ

linguæ diuiſæ, quia per gratiã Spiritus ſancti, omnium idiomatum homines congregati ſunt ſub vnum paſtorem Chriſtum. Et valde congruè humilitas Chriſti per Spiritum ſanctum effecit in ædificatione Eccleſiæ, vt in vno hominis ore omnia idiomata reſonarent, vt nimirum in vnam fidem, diſperſi, & ſibi mutuò non communicantes, congregarētur, & omnium bonorum inter ſe communionem haberent. Sicut olim ſuperbia fecerat in ædificatione Babylonicæ turris, vt idiomata diuiderentur in diuerſis oribus hominũ, vt in varios errores diſpergerentur, & ſibi mutuò nō prodeſſent, ſed ſe potius impugnarent, dum videlicet ſe non intelligunt. Vetus lex data eſt in monte, quo hominibus non erat acceſſus metu mortis, & data eſt cum tali igne & tonitru, & Dei voce, vt dicerēt: Non loquatur nobis dominus. At Spiritus datur in domo, cū tali ſono atq; igne, & locutione, vt ex omni natione accederent, & dicerent: Quid faciemus viri fratres? ad deſignãdum per veterem legem homines iniquiores fieri, & remotiores à Deo: Per nouam autem homines attrahi ad Deum, & congregari in Eccleſiam omnes gentes credentes, & pœ-

Exod.20.

Act.2.

nitentes peccatorum,& quærentes conſilia ſalutis,acceptóque Spiritu ſancto,vnũ fieri cum Deo. Data eſt lex vetus multis; Spiritus ſancti gratia paucis,quia multi ſunt vocati,pauci verò electi. Data eſt illa in deſerto, hæc in ciuitate: quia illa deſertos & incultos reliquit; hæc verò homines cultiſſimos reddit. Noui homines loquuntur magnalia Dei,quia Dei præcepta amãt,veteres autem mẽdaciter promittunt, omnia

Exod 14. quæ mandat Dominus,faciemus.Noui ho-

Actuũ 2. mines quibuſdã ſunt admirationi, quibuſdã irriſioni. Veteres quia in vetuſtate omnes pares ſunt,nemo irridet,nemo admiratur.Ambo tamen de cœlo,& Lex,& Spiritus ſanctus:in vtroque Dei eſt operatio,& Dei locutio.Putant autem quidam ſignum ignearum linguarum in ore apparuiſſe diſcipulis. Item nomen muſti pro dulci vino poni,dum dicuntur muſto pleni fuiſſe Apoſtoli ab irriſoribus.

FINIS.

Docta & pia eſt hæc Dominicæ Paſſionis, & eiuſdem Reſurrectionis enarratio: & digna quæ ſæpius prælo committatur. Actum Bruxellæ.

Lauren. Metſius Sacræ Theolog. Licentiatus, diuæ Gudulæ Bruxell. Decanus.